## Index

IN TRACTATVS DE ANIMAE SEPARATAE PROOEMIO
**Institutum tractationis, subiectum, et distributio.**


**Disputatio Prima.** De immortalitate, et natura animae rationalis.
Articulo:
1. Diuersae philosophorum ueterum sententiae circa animae immortalitatem.
2. Quid Aristoteles in re proposita iudicarit.
3. Animam rationalem immortalem esse naturali lumine demonstratur.
4. Obiecta quaedam aduersus superiora argumenta, et eorum dissolutio.
5. Quid de eadem re fides decernat.
6. Argumentorum quorundam solutio aduersus doctrinam superioris articuli.
7. Vtrum anima separata essentialiter ab Angelo distinguatur.

**Disputatio 2.** De animae separatae statu, modoue essendi extra corpus.
Articulus
1. Quid sit status separationis.
2. Sit ne separationis status animae rationali naturalis.
3. Vtrum anima separata ad unionem corporis naturaliter propensa sit.
4. Soluitur quartum argumentum superioris articuli pro Scoto.

**Disputatio 3.** De iis, quae ad cognitionem animae separatae pertinent per modum actus primi.
Articulus
1. Vtrum potentiae cognoscentes animam a corpore abeuntem comitentur.
2. Soluuntur argumenta superiori articulo adducta.
3. An ne species, atque habitus in intellectu, et uoluntate animae coniunctae residentes, eandem a corpore separatam comitentur.
4. Vtrum ab intellectu animae separatae fluant species naturaliter.
5. Vtrum anima separata praeter eas species, quas exportat, alias uel ab obiectis haustas, uel a Deo impressas, uel utroque modo comparet.
6. Respondetur argumentis utriusque sententiae superioris articuli, apponiturque tertia quorundam recentiorum.

**Disputatio 4.** De actuali cognitione animae separatae.
Articulus
1. An anima separata actum cognitionis reuera exerceat.
2. Quarundam dubitationum resolutio, unde modus cognoscendi animae separatae plenius intelligatur.

**Disputatio 5.** De obiecto cognitionis animae separatae.
Articulus
1. An ea omnia, quae nullo pacto supra naturam sunt, distincte cognoscantur ab anima separata.
2. Vtrum animae separatae cognitione, siue confusa, siue distincta cognoscant res modo aliquo supernaturales.

**Disputatio 6.** De motu animae separatae.
Articulus
1. Argumenta quae probare uidentur in anima separata potentiam, tum sui, tum aliorum motricem non dari.
2. Refelluntur nonnullae sententiae de potentia motrice animae, et uera statuitur.
3. Occurritur argumentis primi articuli.
4. De actu, ac termino potentiae motricis animarum separatarum.

# Tractatus De Anima Separata

## Prooemium

Quoniam Aristoteles libris superioribus nihil de anima separata disseruit, de qua multae, ac graues quaestiones inter Philosophos, Theologosque uersantur, quarum explicatio et intelligentia non minus necessaria, quam iucunda est: operae pretium duximus eam disputationem in praesenti suscipere; licet enim consideratio eorum, quae ad animam praecise, ut extra corpus est, spectant, Metaphysici potius, quam Physiologi sit, ut in primi libri prooemio commonuimus; quia tamen scientia de anima sine hoc quasi suplemento absolutionem suam adipisci non poterat, fortasseque in libris primae Philosophiae apud Aristotelem commentatio haec non adeo opportunum locum habet, istiusmodi tractationem superioribus libris potius attexere, quam illuc reiicere statuimus. Neque uero eas quaestiones disputabimus; quae ad utrumque animae statum, separationis, uidelicet, atque informationis indifferenter spectant, quales illae. An rationales animae sint subsistentes? An a Deo creentur? Et siquae sunt huiusmodi: cum ad caput primum libri 2. huius operis sint pertractatae.

Quod sit huius operis institutum

Porro huiusce tractationis obiectum, materiaue, quam subiectum uocant attributionis, in promptu est, nimirum anima rationalis secundum separabilitatem a corpore spectata, quam ueluti formalem rationem caeterae quidem peculiares scientiae de suis subiectis non astruunt, sed supponunt. At uero communis omnium Metaphysica, ad quam praesens tractatio potissimum refertur, ut paulo superius diximus, tum sibi, tum aliis in eo prospicit. Quo factum est, ut prima sequenti disputatione separabilitatem de anima demonstremus. Passio uero est posse operari absque corpore. Nec mirum si quadam ex parte positiua non sit passio, imo talem esse oporteat, cum eius subiectum ex parte rationis formalis, hoc est, separationis, priuatiuum sit, ut ex sequentibus intelligetur. Iam tractatio in sex disputationes diuiditur. Prima animae naturam proprius attingit, cum in ea de immortalitate, distinctioneque ipsius ab allis substantiis separatis disseratur. Secunda modum existendi extra corpus declarat; reliquae de iis; quae ad operationem explicandam referuntur. Itaque tertia de potentiis cognoscentibus, earumque speciebus, et habitibus disceptat. Quarta de actu ipso cognoscendi. Quinta de obiecto cognitionis. Sexta de motione ad locum.

Huius tractationis subiectum

Distributio

### Disputatio Prima.
### De immortalitate, et natura animae rationalis.

#### ARTICVLVS I.
#### DIVERSAE PHILOSOPHORVM VETERVM SENTENTIAE CIRCA ANIMAE IMMORTALITATEM.

Immortale, quemadmodum et aeternum, bifariam dici consueuit; aut quod nulla potestate, etiam diuina, aboleri ualet, quo pacto solus Deus (ut alias eius loci interpretationes omittamus) immortalitatem habere dicitur primae ad *Timotheum* cap. 6. aut quod suapte natura nequit interire, quanuis per absolutam Dei potestatem deficere possit, cuiusmodi sunt Angelus, materia prima, et id genus

Immortalitatem bifariam accipi

alia. Posterior hic significatus duplicem adhuc comprehendit: nam quae eo modo sunt immortalia, uel substantiae sunt, ut Angeli, coelestia corpora, materia prima; Vel accidentia eorum peculiaria, ut species intellectiles Angelorum, Solis lumen, relatio creaturae ipsi materiae propria; si substantiae sint, immortalia, aut incorruptibilia per se uocantur; per accidens uero, si sint accidentia, eo quod nullo ulteriori miraculo extinguentur, quam suorum subiectorum abolitione. Proposita uero quaestio de immortali secundo modo, quod substantia sit, intelligi debet.

De quo immortalitatis genere procedat quaestio

Igitur, esset ne animus hominis immortalis, an una cum corpore interiret, magno apud ueteres studio, et contentione quaesitum fuit; primusque inter eos, quorum scripta extiterunt, ea de re disputasse dicitur Pherecides, referente Cicero I. *Tusculanarum quaestionum* deinde alii in Academia, in Lycaeo, in Stoicorum porticu, caeterisque philosophantium gymnasiis, dignam uidelicet rati controuersiam, in qua hominum ingenia desudarint, cum omnium causa ageretur. Ea enim disputatio est, unde non solum diuini numinis colendi ratio magna ex parte dependet; sed quae ad summum hominis bonum definiendum, atque ad mores conformandos interest magnopere. Igitur animi immortalitatem asseruerunt Pherecides, eiusque auditor Pythagoras, Trismegistus, Diogenes, Thucydides, Thales Milesius, Zoroastes, Anaxagoras, Aratus, Plato, Plotinus, Porphyrius, Proclus, Numenius, Longinus platonicus, Theophrastus, Marcus Tulius et alii, quos longa serie, refert Nicolaus Fabentinus lib. 1. *De immortalitate animorum* ad Clementem 8. c. 11. Eugubinus lib. 9. *De perenni Philosophia*. Fuit tamen inter hos discrimen. Nam quidam animum expertem omnis mortalitatis fecere: alii non ita, sed longo post tempore, uel paulo post emori existimarunt. Inter quos Stoici eruditorum animas corpore solutas paulatim debilitari et perire: sapientum uero usque ad uniuersi conflagrationem perseuerare dixerunt. Inter alios acerrimus animorum immortalitatis propugnator, et uindex fuit Plato, nullusque eam physicis rationibus tam aperte tutatus est, ut constat ex *Timaeo*, *Philebo*, *Menone*, et libris de *Republica* adeo ut iudicia post mortem, poenasque, ac praemia constituerit. Et uero eum non nulli hac in re ueritatis terminos praetergressum fuisse putant, asseruisseque non hominum tantum, sed belluarum quoque animas immortales esse; quem errorem Platoni attribuit, refellitque D. Thomas 2. *Contra Gentes* cap. 82. Sed ab eo Platonem alienum fuisse asserit Bessario cap. 7. lib. 2. *Contra calumniatorem Platonis* et quidem iure optimo (ut nobis uidetur) cum Plato in *Timaeo* disertis uerbis affirmet animum brutorum esse mortalem

Qui ex Philosophis animae immortalitatem astruxerint

Huius immortalitatis acerrimus propugnator Plato

Animos interitui obnoxios esse, et cum corpore emori putauit Epicuraeorum grex, quem plurima turba tam Graecorum, quam Latinorum secura est. Atque inter eos Plinius lib. 7. *Naturalis historia* cap. 55. de anima brutorum, de quibus tam multa scripsit, optime meritus, de humana pessime; cuius immortalitatem acerba mordacitate est infectatus, certus nunc ea de re apud inferos malo suo, infelicique experimento. Illic uideat (ut iocatur) utrum ne aliquis post mortem sit doloris sensus aut corpori, aut animae; Vtrum uanitas sit, post mortis etiam tempora, uitam, immortalitatemque polliceri; illic discat, si nihil est, quod animae agant, esse certe multum, quod patiantur.

Epicureorum secta animae immortalitatem denegauit

Porro Galenus in hac quaestione tam uarius est, ut cuius fuerit sententiae, non sat liquido constet. Nam in libro qui inscribitur; Quod animi mores corporis temperaturam sequantur, Platonem exagitat, quod animi immortalitatem defendat. At uero in lib. *De tremore et rigore*, ait, siquis animam esse dixerit substantiam, quae per se moueri queat, (quod utique immortalitatis est argumentum) eum minime deceptum iri. Quapropter alii eum in priori sententia fuisse credunt, alii in posteriori. Sed minime mirandum est dubium fuisse Galenum de animorum

Varia ea de re Galeni placita

nostrorum immortalitate, cum de ipsa animae natura dubius fuerit, an ne qualitas, qualitatumue temperamentum sit, an potius substantia, quod eius libros euoluenti passim occurret.

## ARTICVLVS II.
## QVID ARISTOTELES IN RE PROPOSITA IVDICARIT.

Quod ad Aristotelem attinet, quid de animi immortalitate senserit, controuersum est. Iustinus philosophus et martyr in sua *Paraenesi*. Theodoretus in lib. *De natura hominum*. D. Gregorius Nyssenus in libro *De anima*, Origines in opere, quod inscribitur Φιλοσοφουμενω. D. Gregorius Nazianzenus in disputatione *Contra Eunomium*, Plutharcus in libro *De placitis philosophorum* capite primo, Galenus in *Historia philosophica*, Caietanus tertio *De anima* capit. secundo, Pomponatius in suo libro *De immortalitate animae*, Simon Portius in libello *De mente humana*, putant animum nostrum caducum, mortalem fecisse. Eoque magis persuasum habent ita credidisse Aristotelem, quod Alexander Aphrodisaeus auditor, sic mentem eiusdem Philosophi solitus sit interpretari, ut lib. 3. *De anima*, et alibi, quem tamen ab hac calumnia liberare nititur Eugubinus libro nono *De perenni philosophia* cap. 21. et 22.

Qui uelint Aristotelem immortalem animum credidisse

Primum igitur se offert locus ille initio librorum *De anima* cap. 1. textu 12. ubi affirmat, si intellectus citra imaginationem non est, cohaerere per se non posse, atque extra materiam consistere; Quare cum cap. 8. libri tertii textu 39. statuat neminem absque phantasmatis ope intelligere, oportereque eum, qui contemplatur, phantasmata speculari; consequens est, ut existimet non posse animum extra crpus esse, sed una cum eo extingui.

Prima ratio, quae id probat

Secundo, quia primo *De coelo* cap. 12. probat omne genitum esse corruptibile, et quidquid ortum est, aliquando interiturum. Quare cum ponat animum initium habere, ut constat lib. 12 *Metaphysicorum* cap. 3. text. 16. eundem aliquando disoluendum fore arbitratur.

Secunda

Tertio, quia primo *Ethicorum* cap. 10. Solonem coarguit, quod ueram hominis felicitatem post mortem esse dixerit. Quae reprehensio ea potissimum ratione niti uidetur, quod post mortem animus hominis, qui beati possit, non remaneat. Quod etiam apertius confirmat tertio eiusdem operis libro capit. 6. dicens post mortem, nec boni quid esse, neque mali, et libro 12. *Metaphysicorum* cap. 7. text. 39. cum ait, Deo sempiternam conuenire felicitatem, nobis uero non nisi ad breue tempus, dum huius uitae munere fruimur.

Tertia

Quarto, quia cum mundum, hominumque generationes ab aeternitate finxerit, uel dandae essent infinitae animae, cum tamen 3. *Physicae auscultationis* libro infinitum negarit, uel locum haberet migratio Pythagorica animarum in diuersa corpora succedentium, quod non minus a Peripatetica doctrina abhorret, ut alibi ostendimus.

Quarta

Lib. 1. de anini. c.1. q.7. et lib. 2 de gener. c.11. q.1

Postremo, quia si animum immortalem fecisset, eundem a Deo creari existimasset: quae enim immortalia sunt, sicuti aboleri nequeunt, nisi a Deo in nihilum redigantur, ita neque produci ualent, nisi diuinitus creentur. At quod Aristotelem animi creatio latuerit, suadetur, quia cum ipse Deum naturae

Vltima

necessitate agere crediderit, si a Deo animas creari putasset, asseruisset utique omnes ab aeterno fuisse productas; quod eius placitis aduersari ex secundo argumento perspicuum est. Itaque uidetur Aristoteles animi humani immortalitatem penitus ignorasse.

Alii tamen magni nominis philosophi contra opinantur, asseuerantque Aristotelem nostros animos ab interitu alienos, atque omnis mortalitatis expertes posuisse, ex quorum numero est Theophrastus, qui cum tot annos Aristotelem in Lycaeo deambulantem audierit, credibile omnino est saepe hac de re cum eo fuisse commentatum, ac quid sentiret cognouisse. Idem censuere Olympiodorus, Ammonius, Philoponus, Simplicius, Auicenna, ut refert Mirandula lib. 4. *De examine uanitatis* cap. 9. Et de Latinis D. Thomas 2. *Contra gentes* cap. 79. et 8. *Physicorum* lectione12. et 12 *Metaphysicorum* lectione 3. et *Quodlibeto* 10. q. 3. art. 1. Albertus Magnus tractatu 2. *De anima* cap. 20. et tractatu 3. cap. 13. Aegidius lib. 3. *De anima* ad caput 4. Durandus in 2. distinctione 18. q. 3. Ferrariensis loco citato *Contra gentes*, Eugubinus lib. 9. *De perenni Philosophia* a cap. 18. aliique e recentioribus non pauci.

Qui opinentur Aristotelem opposita plane censuisse

Sunt uero apud Aristotelem ad hanc sententiam stabiliendam multa, et illustria testimonia. Nam 1. *De anima* cap. 4. text. 65. et 66. appellat intellectum nostrum diuinum interitus, et passionis expertem. In 2. item lib. cap. 1. text. 11. ait nihil obstare quominus aliquae partes animae separabiles sint, quia nullius corporis sunt actus. Et cap. 2. text. 21. ait intellectum, qui speculatur, esse aliud quoddam genus animae a sentiente, et uegetante distinctum, quod perinde, atque perpetuum ab eo, quod occidit, seiungi, separarique possit. Idemque affirmat de intellectu agente cap. 5. lib. 3. textu 19. Dixerat autem text. 17. has duas facultates intellectricis animae differentias esse. Praeterea 12. lib. *Metaphysicorum* cap. 3. text. 17. scribit nihil prohibere, quominus dissoluto composito, forma remaneat. Quod de sola anima humana dictum constat. Rursus; omnis potentia immaterialis, cum sit extra materiae conditionem, uacat interitu: at intellectum immaterialem esse multis in locis affirmat Aristoteles ut 1. *De partibus animalium* cap. 1. lib. 3. *De anima* cap. 4. text. 4. et 6. et 15. et 19. Postremo, libro 2. *De generatione animalium* capite tertio, docet mentem extrinsecus aduenire, hisce uerbis, λειπεται δε τον νουν μονον θυραθεν επεισιεναι και θειον ειναι μονον, ου δε γαρ αυτο τη ενεργεια κοινωνει σωματικη ενεργεια, id est, Restat igitur ut mens sola extrinsecus accedat, eaque sola diuina sit; nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. Quibus uerbis significat Aristoteles animum humanum non educi e gremio materiae, sed diuinitus creari, atque adeo immortalem esse. Cuius contrarium ante illa uerba, quae nunc citauimus, praemiserat de formis caeterarum animantium, eas uidelicet extrinsecus aduenire non posse, quod operationis tantum corporeae sint principia.

Quibus ex locis id deprehendant

Nec audiendi sunt, qui susceptae opinionis retinendae studio, hunc locum alio detorquent, et de intellectu agente, id est, de Deo intelligendum arbitrantur; cum Aristoteles non de Deo, sed de anima: nec de Diuino, sed de humano intellectu eo loco palam disserat. Quos etiam Philoponus scita ratione urget; Qui fieri possit, inquiens, ut de Diuina mente illud ab Aristotele dictum putemus, cum scribat, non satis hoc adhuc constare, utrum haec uis a caeteris animae facultatibus, et ab ipsa materia abiungi possit? Siccine de prima mente loqueretur? an non omnibus certum est, hanc aeternam, et omnis interitus expertem esse? Haec ille. Tandem si habenda fides est iis, quae Themistius in paraphrasi super tertium *De anima* cap. 37. refert; suam de re proposita sententiam diserte expressit Aristoteles in *Dialogo*, quem scripsit ad Eudemum familiarem suum, cuius etiam

Occupatur aliquorum obiectio

meminit Cicero 1. *de Diuinatione*. Plutarchus in *Vita Dionis*, et in *Consolatoria ad Apollonium*, ubi multis rationibus animi nostri immortalitatem astruxit.

Hac in re dubium haesisse Philosophum, qui affirmant

Alii denique Aristotelicae doctrinae haud mediocriter studiosi, in quibus est Scotus in 4. *Sententiarum* dist. 43. q. 2. art. 2. Heruaeus *Quodlibeto* I. q. 11. et lib. I *Sententiarum* dist. 1, q.1. Niphus in opusculo *De immortalitate animae* cap. 1. hisce in utranque partem animaduersis rationibus, censent Aristotelem omnino dubium in quaestione fuisse, ac modo ad hanc, modo ad illam sententiam inclinasse. Nobis uidetur eum, etsi aliquantulum haeserit, magis tamen propendisse in eam partem, quae animum immortalem facit. Sed quia uidebat se hinc argumentis perurgeri, illo praesertim de animorum infinitudine, perplexa dictorum uarietate rem obseurasse; uel certe ita disputationum ambage implicuisse, ut ingenia potius studiosorum ad inuestigandum excitaret, quam aliquid certum, fixumque relinqueret.

Probabile est ad immortalitatem animae magis inclinasse

Respondetur ad argumenta facta in oppositum. Ad 1.

Diluemus igitur in gratiam tanti Philosophi ea argumenta, quae in eius doctrina animum omnino mortalem faciebant. Ad primum dicendum erit, cum Philosophus asserit nostram mentem non intelligere absque phantasmatis, non loqui de anima absolute, sed ut est corpori unita: neque uero propter eorum concursum infringitur argumentum illud, quo ex actione intelligendi, etiam in corpore animae immortalitas comprobatur, ut in sequentibus fiet apertum. Ad 2. omissis aliorum interpretationibus, dicendum eo loco tantum haberi, id, quod per motum, et generationem incipit, necessario finem habere; animum uero rationalem non eo pacto gigni. Ad tertium, omnia illa loca intelligenda esse de humana felicitate, de qua erat inter philosophos disputatio, quae cum opes, et alia externa bona requirat; ab eo separatae animae statu aliena maxime est.

Ad 2.

Ad 3.

Ad 4.
Ad ultimum.

Quartum, quod plus habet difficultatis, solutum iam est lib. 3. *Physicorum* cap. 8. q. 1. art. 5. Ad ultimum dices Aristotelem cognouisse animas intellectiuas creari a Deo, neque tamen existimasse eas absque principio extitisse: quia illa tantum statuit necessario Deum produxisse ex aeternitate, ad quorum siue effectionem, siue praeparationem, nullius causae secundae concursus exigitur. Ad animae uero rationalis infusionem requiritur dispositio accidentium, quam agens naturale inducit; quaeque ipsius animae introductionem, et unionem cum materia attingit. Atque de ueterum Philosophorum, deque Aristotelis sententia, dicta sufficiant.

## ARTICVLVS III.

### ANIMAM RATIONALEM IMMATERIALEM ESSE NATVRALI LVMINE DEMONSTRATVR.

Animae immortalitatem demonstrari

Quoniam superiori articulo ostendimus ex Aristotelis aliorumque sententia animam rationalem immortalem esse, operae pretium erit inuestigare an demonstratione aliqua, euidentiue ratione eam ueritatem aut assecuti sint, aut assequi potuerint. Qua de re conclusionem huiuscemodi statuimus. Animae rationalis immortalitas naturali ratione demonstratur. Quae conclusio non aliter suadenda est, quam adductis iis argumentis, quibus plerique Philosophorum, aut etiam Theologorum, ad id institutum usi sunt.

Primum arg.

Primum sit. Anima rationalis est substantia, per se subsistens, et spiritualis. Ergo est immortalis. Consequentia bona est, cum neque ipsi Angeli alio ex capite immortalitatem uendicent, quam quod tres illas conditiones in antecedente positas fortiantur. Primam igitur in animam etiam quadrare satis liquet ex iis, quae tum primo *Physicorum* cap. 9. q. 9. tum primo *De Generatione* cap. 4. quaest. 8. scripta sunt; quibus in locis uniuersim probatur in quouis physico composito,

Animam esse substantiam, per se subsistentem

atque adeo in homine formam substantialem inueniri, quae non est alia, quam rationalis, ut quaestione 21. eiusdem quarti capitis, ostensum est. Secunda etiam superius libro 2. c. 1 q. 2. ex professo traditur. Tertia demum nunc est uberiori filo deducenda; ex operatione uidelicet, atque potentia spiritualibus apud nos repertis. Ex operatione quidem, hunc in modum. Actus cognoscendi nonnulli spirituales sunt in nobis, hoc est, neque ex materia constantes, neque a materia, subiectoue dependentes. Ergo et potentia illos immediate eliciens spiritualis erit; et consequenter substantia, unde talis potentia manat, erit itidem spiritualis. Vtraque consequentia per se nota est in Philosophia; siquidem, uti D. Dionysius c. 11. *De coelesti Hierachia* sapienter annotauit, operatio cognitionem potentiae operantis sequitur; potentia uero, naturam, hoc est, substantiam; unde effluxit. Assumptum igitur probandum restat. Nam actus, et obiectum sibi inuicem proportione respondent, ut si hoc supernaturale existat, si a loco, temporeque sit abstrahens, ac denique immateriale; easdem quoque, praerogatiuas obtineat actus, ita postulante natura, quae in omnibus semper consona est: cum igitur humana cognitio ad obiecta spiritualia terminari possit, ac soleat, cum item in ea obiecta tendat plerunque, quae nulli singulari cognitioni sunt addicta, id est, in uniuersalia (nihil enim interest an natura Leonis, u. g. quam consideramus huic, aut illi differentiae sit contracta; hoc in loco, aut tempore reperiatur) erit plane talis cognitio spiritualis, atque a materiae conditionibus; quoad fieri possit, immunis; ut quandoquidem uniuersalis existere non potest cum elicitur, in actuque exercito ponitur, ad obiecti saltem indifferentiam se se accommodet, eo pacto, quo diximus. Verum igitur erat propositae rationis assumptum; nimirum dari in nobis spiritualem cognoscendi actum.

Esse item spiritualem colligitur ex actibus

Quod rursum confirmatur obseruatis propriae cognitionis humanae conditionibus, per quas a caeteris materialibus cognitionibus distinguitur. Etenim humana cognitio adeo est subtilis, ut ad intimas etiam rerum quidditates, aut penetret, aut penetrare contendat: adeo fagax, ut quaecunque sunt re ipsa coniuncta discernat, diiudicetque quidnam ad earum pertineat essentiam: quid ex ea profluat, quid contingenter insit. Est item adeo potens, ut quae neque sunt, neque esse possunt, et apud se fingat, et uarios modos, atque habitudines inter ipsa excogiter; ut a minimis effectis ad summam causam progrediatur discurrendo: ut in se quoque animaduertat, quam certo, quamque euidenter obiectum attigerit; ut se ipsam a quacumque re alia, atque adeo ab obiecto distinguat, quae est perfectissima reflexio, ad quam sensitiua recordatio nequit accedere, cum rem cognitam in praeterito, concrete solummodo percipiat.

Idem colligitur ex acumine humanae cognitionis

Praeterea, experimur elicere nos credendi actus, coniectandique in futurum, atque etiam praeteritorum recordandi, sine ullo uitae tuendae, propagandaeque fine, sed cognitionis solius gratia, ueluti cum res gestas olim accipimus, cum futuras planetarum coniunctiones, atque oppositus speculamur, aut etiam de Angelis, aliisue entibus Metaphysicis disputamus; quae omnia longe remota sunt ab usu sensuum, minimeque ad illos pertinentia. Cum igitur tot, tamque nobiles existant cognitionis humanae conditiones, negari non potest illam supra materiae naturam eminere, proindeque spiritualem esse, quod contendimus.

Qui intelligendi actus sint a sensibus maxime alieni

Idem uero non minus aperte ostenditur inspectis actibus liberis appetendi; adeo enim independentes sunt a materia, ut nullum sit creatum agens; quod illos possit directe impedire, aut promouere; et quod hinc sequitur, neque efficere, ut aut aliquem exerceamus, aut nullum; quae est libertas absoluta tam a contrarietate, quam a contradictione. Id, quod ideo euenit, quia nullo praeterquam infinito bono, eoque praesente euidenter, satiari, tranquillarique appetitus ualet. Quis autem non

Quam independents a materia sint actus liberi appetendi

uideat tantam immunitatem, atque excellentiam in actum corporeum competere non posse?

Ex potentia animae spirituali, eiusdem spiritualitas menstratur

Iam uero ex potentia spirituali hunc in modum animae spiritualitas concluditur. Est in nobis facultas intelligendi spiritualis; ergo et substantia a qua fluat, cui inexistat, cuius uirtute operetur. Antecedens, de quo solum dubitari posset, probat D. Thomas tum alibi, tum 2. *Contra gentes* c. 49. et 1. p. q. 75. art. 2. ratione ducta ab Aristotele lib. 2. *De anima* cap. 10. text. 104 et lib. 3. cap. 4. et 5. Etenim intellectus percipere ualet omnia corpora (neque enim ulla ratio afferri potest, cur eorum aliquod ipsius aciem effugiat) oportet igitur illum a natura corporis nudatum esse. Huius consecutionis uis, quae lib. 2. *De anima* cap. 1 q. 2. art. 2. latius inculcatur; ex eo nunc breuiter ostenditur. Quia si intellectus non foret omni corporalitate nudatus, speciem cuiuslibet corporei obiecti non posset admittere, siquidem materiale organum, in quo resideret, limitatum esset ob suam imperfectionem, ut patet inductione omnium potentiarum sentientium, nulla enim illarum alterius speciebus consignari ualet, quemadmodum neque eis uti ad cognitionem, et si fortasse in ipsius organo recipiantur; ergo si uniuersam corpoream naturam intellectus sit percepturus, necessum erit ab omni materia immunem esse; ut eo pacto, cuiuis corporeae entitati percipiendae inueniatur indifferens. Cur autem, ut naturam spiritualem cognoscat, non sit opus ab ea exutum esse, citato loco explicatur.

Intellectum potentiam esse spiritualem

Hactenus id solum ostendimus animum nostrum substantiam esse per se subsistentem, atque spiritualem, quod erat primi argumenti, in quo uersamur antecedens; certa igitur est illa consecutio, quam superius fecimus; esse illum quoque immortalem. Quapropter non immerito D. Augustinus lib. *De immortalitate animae* statuit ad eandem immortalitatem demonstrandam, a ratione, id est, spirituali siue operatione, siue potentia incipere oportere. Quod ita ulterius confirmatur. Causa materialis in substantiam spiritualem per se solum influere nequit, ut ipso naturae lumine notum est, quoandoquidem a sola causa materiali immaterialis influxus, qui tantum ab spirituali substantia recipi potest, prodire non potest. Non igitur haec ab illa existentiam recipiet. Tunc sic; Anima rationalis existentiam non capit a materia, nulla igitur ratione per causas naturales ab ea poterit talis existentia auferri, quod est esse immortalem. Extrema haec consecutio nota est, cum corruptio aliter non contingat in formis substantialibus, quam per dissolutionem ipsarum a materia, a qua pendebant in existendo.

Independentia animae a materia, eam arguit immortalem

Secundum argumentum principale

Secundum argumentum principale pro huius articuli conclusione sic habet. Nihil per se subsistens corrumpi potest naturaliter, nisi substantia alia pariter generetur, quemadmodum late disseritur lib. 1. *De generatione* cap. 4. q. 17. At forma rationalis per se est subsistens, ut superius uidimus lib. 2. *De anima* cap. 1. q. 2. neque cum ipsius corruptione coniuncta esse potest alterius substantiae generatio, cum simplex sit entitas (alioquin si ex materia et forma etiam componeretur, in physicis compositionibus, sine exitu procederetur) nullaque proinde sit relinquenda materia, quae nouae generationi substerni ualeat; Anima igitur rationalis corrumpi non potest. Confirmatur argumentum, quia anima rationalis per solam creationem existentiam capit, ut quaest. 3. eiusdem libri non ex diuinis tantum literis, Patrumque testimoniis, sed ratione etiam ostenditur, ergo a nulla causa naturali destrui potest. Consequentia ex eo uim habet, quia quemadmodum omne corruptibile generabile est, teste Philosopho, ita quidquid sola creatione produci potest, a sola causa creante corrumpi poterit. Ad haec non parum efficacia argumenta, alia accedunt, quae etsi non urgeant omnino, digna

Anima per solam creationem existentiam accipit

tamen sunt, quibus bene moratus quisque in propositae conclusionis assentum inclinet.

Tertium, Est appetitus in homine naturalis ad uitam sempiternam; ergo anima saltem immortalis erit. Consequentia probatur, quia appetitus naturalis non est frustra. Antecedens uero suadetur primo ex elicito desiderio, quod unusquisque experitur, non solum diu uiuendi, sed etiam gloriae comparandae. Quam sit autem uehemens ipsum desiderium inde patet, quoniam tantum apud quosdam ualuit, ut sibi manus inferrent, quo citius uita immortali potirentur, ut de Cleombroto, seu Theombroto memorat D. Augustinus lib. *De Ciuitate Dei* c. 22. Is autem Theombrotus, lecto Platonis dialogo, qui *Phoedon* inscribitur, in quo de immortalitate animae disputatur, studio immortalitatis illico experiendae, ex alto se dedit praecipitem, ut attestatur Cicero 1. *Tusculanarum quaestionum*. Plura huic affinia exempla, reperies apud Lactantium lib. 2. *De diuinis Institutionis*. Secundo ex assidua, uehementique contentione, atque aemulatione relinquendi sui monumenta, tum conscribendis uoluminibus, tum etiam magnificis operibus construendis; hinc enim Mausolaea, Colossi, pyramides, et columnae, substructionesque aliae prodigiosae. Tertio ex humana propensione degendi perpetuo in societate, et communione multorum. Hinc forum, iura, templaque communia, nimirum dum a pluribus idem deligitur locus ad colendum Deum; Idem iudex controuersiarum; eadem ratio legum, secundum quas uiuant. Huc uidetur allusisse sanctus *Iob* cap. 3. illis uerbis; Nunc enim dormiens (scilicet per mortem) silerem, et somno meo requiescerem cum Regibus, et principibus terrae, qui aedificant sibi solitudines, aut cum principibus, et caetera. Ex quo loco D. Thomas colligit hominem secundum animam post mortem subsistere; ibidemque Caietanus probat Iobum supponere animae immortalitatem, ac loqui secundum statum naturae animae rationalis, seclusa consideratione diuini ordinis, secundum poenas, uel praemia, quanuis D. Gregorius lib. 4. *Moralium* c. 27. ad eundem locum dicat Iobum loqui de Angelis beatis, sanctisque Ecclesiae praedicatoribus, quorum consortium optabat, nisi id originalis culpa prohiberet. Quae interpretatio ad spiritalem potius, quam literalem (ut uocant) sensum referenda est.

Tertium argum.

Dari in homine appetitum ad immortalitatem

D. Thom.

D. Gregor.

Quartum, Non modo certum est, ecstasim, hoc est, intentam quandam partis rationalis ad res sublimes absque ullo sensuum usu applicationem supernaturaliter dari: sed etiam probabile naturaliter posse aliquando euenire; ut late disputauimus lib. 3. *De anima* c. 8. q. 8. art. 3. nec immerito, siquidem ea uehemens applicatio, etsi ardua ac laboriosa, proindeque admodum rara existat, non tamen tantae est eminentiae, ut citra miraculum euenire interdum nequeat; poterit ergo naturaliter anima rationalis per se subsistere; immortalisque permanere; quandoquidem unumquodque sicuti ab altero in operando per se non pendet; ita neque in essendo. Neque uero (ut hoc semel moneamus) suspecta cuiquam uideri debet ea consecutio, qua ex una uel altera operatione animae absque corporis societate edita, illius immunem a corpore subsistentiam colligimus, quanuis multas alias uegetandi scilicet, sentiendique actiones absque corporis consortio nequeat exercere. Enim uero, si semel per breue tempus cohaerere posse animam extra corpus deprehendamus, nulla ratio est cur longiori, atque adeo infinito subsistere eam posse denegemus.

Quartum argum.

Quintum, Nullum est in hac uita tantum bonum, quod adepti tandem aliquando non fastidiamus, quantumuis illud auide appetiuerimus iucundumque ac suaue uisum fuerit. Vnde ad alia semper mens anhelat, siquod forte inueniat obiectum, in quo quiescat: ut sequenti ratione perpendemus. Signum igitur est animae naturam, ac facultates dognoscendi, et desiderandi eidem proprias caduca

Quintum argum.

Petrus Dami. ex August.

omnia transcendere, naturaeque dignitate superare quandoquidem eorum nullum inuenitur, quod ipsis tandem non frigeat, ac uilescat. Hinc D. Gregorius *Homilia* 26. in Euangelii Corporales deliciae, cum non habentur, desiderium accendunt: habitae uero in fastidium uertuntur; in eis appetitus placet, experientia displicet, et caetera a qua conditione longe absunt aeterna bona, de quibus illud celebratur; Neque eorum copiam fastidiri, neque famem cruciare.

Immortali animae mortalia uilescunt

Sextum, Quod superiori affine est, ex insito nobis beatitudinis in communi appetitu eruitur. Nihil est, quod humanum desiderium satiare possit, eo saltem ex capite, quod sit tandem finem habiturum; unde uox illa est Augustini initio *Confessionum* simile desiderium intra se experientis. Fecisti nos Domine ad te, et inquietum est cor nostrum donec requiescat in te; quod non minus pie, quam uere disseruit etiam cap. 25. *Manualis*. Quapropter si praedictum desiderium frustra esse non debet; ut pote quod nobis natura inseuerit; consequens fit, ut aliqua saltem pars nostri beatitudinem sine termino possidere possit; quod absque immortalitate non continget.

Sextum argum.

Septimum, Quoniam naturale est homini secundum uirtutem uiuere; quod principium sane conuelleretur, si homo iumenti more interiret. Vnde Augustinus 6. *Confessionum* cap. ultimo. Si animus, inquit, mortalis est, Epicurus in animo meo palmam habet. Quapropter si ab auctore naturae Deo satis (ut par est) ad moralem uitam sumus instructi; fatendum omnino erit animorum immortalitatem naturalem esse, cum alioquin nullus pene inueniretur, qui studiosae uitae operam daret.

Septimum argum.

Octauum, Ex Dei prouidentia deducitur, illudque luculenta oratione prosequitur D. Chrysostomus *Homilia* 4. de prouidentia Dei, desumpsisseque uidetur ex 21. capite libri *Iob*. Etenim in mortali uita studiosi homines frequentius aduersa patiuntur; improbi prospere habent: necesse igitur est aliam superesse immortalem, ubi studiosi ab improbis iusta sorte diuidantur; quod citato loco *Iob* ita habetur. Iste moritur robustus, sanus, diues et felix: alius moritur in amaritudine animae absque ullis opibus; et tamen simul in puluere dormiente, et uermes operient eos. Ecce obiectionem. Sequitur Iobi responsio. Certe cognoui quia in diem perditionis seruatur malus, et caetera. Quin etiam D. Clemens lib. 3. *Recognitionum* testatur sanctum Petrum argumentatione hac usum fuisse. Si Deus iustus est, anima est immortalis, cuius argumentationis uim eleganter etiam D. Gregorius Nazianzenus expressit carmine iambico de se ipso aduersus inuidos hunc in modum.

Octauum argum.

Ex diuina prouidentia animorum arguitur immortalitas

Graue aliter esset rebus hic duris premi;
Nisi summus olim uerteret talos Deus.

Simile argumentum confecerat Plato in dialogo *De animae immortalitate*, ita ferme. Iustum est scelestos homines post obitum suorum criminum poenam dare, iustos praemia recipere. Et ante illum Socrates apud Ciceronem 1. *Tusculanarum* duas animorum e corpore abeuntium uias superesse dicebat; alteram, qua a Deorum concilio longe digrederentur; alteram, qua facilis illuc pateret aditus. Plura ad hoc argumentum, sicuti et ad alia superiora ex philosophorum fontibus hausta congerit Eugubinus lib. 9. *De perenni philosophia*, quae ne simus longiores, consulto praeterimus.

Plato

Socrates

Quod uero proposita argumenta non tam stricte, atque euidenter rem conficiant, ut illa, quae apud Euclidem sunt; non ideo suspiciosa uideri debet eorum firmitas et efficacia. In quam sententiam Aristoteles 1. *Ethicorum* c. 3. ita scribit. Dicitur autem satis, si declaretur perinde, ac subiecta materia postulat; ipsum enim exactum non est in omnibus simili modo rationibus flagitandum. Et

Non esse in rebus omnibus aequam argumentorum uim exigendam

post pauca. Est enim eruditi exactum ipsum in unoquoque genere flagitare, quatenus fert ipsius rei natura. Simile nanque uidetur esse (id est, aeque ineptum) Mathematicum suadentem probare, et ab oratore demonstrationes exigere. Quo loco obserua non solum in gratiam intellectus imbecillioris dicta haec fuisse ab Aristotele; sed etiam quia frequenter accidit, ut materia, de qua agitur, amplius non ferat; sicque fieri posse ut a nullo intellectu, quantumlibet perspicaci exactior probatio proferri ualeat. Atque ita tandem Scotus *Quodlibeto* 9. Physicam illam demonstrationem approbat, qua ex spirituali operatione animae, independentiam illius a corpore in existendo collegimus, etsi alibi, ut paulo inferius attingemus, aliquanto tenacius pro aduersa parte pugnarat.

Oppones tamen non uideri posse demonstrari animae nostrae immortalitatem, cum inferius ostendendum sit, id dogma deside esse. Sed occurrendum non omnia, quae fides docet, supernaturali cognitione teneri oportere, si alioquin satis sint perspecta naturali lumine, ut omnium hominum futurum interitum, metallorum uenas in Hispania, et similia, quae cum naturalia sint, naturaeque lumine nota, in diuinis tamen oraculis habentur. Secus de propositione illa, Deus est, quam licet naturali lumine quis notam habeat, ad iustificationem tamen requiri, ut supernaturali cognitione approbetur, docent meliores Theologi, ob illam D. Pauli sententiam ad *Hebraeos* 11. Credere oportet accedentem ad Deum quia est: nihil enim uetat ea, quae naturali demonstratione assequimur, supernaturali etiam, sed tamen euidenti iudicio approbari, de quo in Theologia explicatius.

Obiectio.
Dilutio.

Cognitio supernaturalis non impedit naturalem cognitionem eiusdem rei

D. Chrysost.

Ex dictis ergo colligere licet id, quod D. Chrysostomus citato sermone fecit, eos, qui de immortalitate animae dubitant, dubitare etiam posse, an in meridie dies sit. Non alia sane ratione, quam quia id iam naturali lumine sit contestatum. In eademque fere uerba conuenit etiam Augustinus 13. *de Trinitate* c. 9. sed et D. Thomas tum alibi, tum 1. p. q. 75. art. 2. et 6. concludit necesse esse affirmare animam intellectiuam esse incorruptibilem, ac subsistentem. Libro item 2. *Contra gentes* cap. 79. ait patere intellectum humanum incorruptibilem esse. Quod autem necessarium est, naturalique lumine patet, exploratam habet suae ueritatis rationem: ergo et caetera. Denique hac saltem aetate ita celebre est animae immortalitatem demonstrari, ut iure temerarius habeatur, qui nostrae assertioni refragetur, minimeque credendum est refragaturos Scotum, et Caietanum, si nunc uiuerent, etsi aliquando aliter censuerint. Qua in re multo grauius aberrauit Iulius Scaliger exercit. 307. numero 33. cum scribit adeo nescire nos immortalitatem, ut quotidianis suspicionibus, uel persuasionibus etiam nunc sit controuersa; solaque fide agendum.

Non dari locum dubitandi de animae immortalitate.
D. August.
D. Thom.

Eam temere negari, a Philosopho naturali

Scotus 4. d.43. q.2. Caieta. in c.9, epistola ad Roma. et in c.3. Ecclesiastes

Duo autem sunt ad extremum huius articuli aduertenda. Primum, cum naturali lumine cognitam esse immortalitatem animae asserimus non excludere nos peculiaria quaedam auxilia, et illustrationes mentium, sine quibus fortasse id assequi non potuerunt philosophi post primi parentis lapsum. Secundum non usos fuisse nos auctoritate Concilii Lateranensis infra citandi ad hanc assertionem comprobandam, quia quanuis ibi haeresis damnetur, qui secundum Philosophiam dixerit animam rationalem mortalem esse, non tamen propterea fit, ut inuenta iam sit philosophica ratio, qua immortalis esse demonstretur, quod nunc contendimus.

## ARTICVLVS IIII.
### OBIECTA QVAEDAM ADVERSVS SVPERIORA ARGVMENTA, ET EORVM DISSOLVTIO.

Sed ut argumenta, quibus proximo articulo immortalitatem animae ostendimus, probatiora fiant, a calumniaque uindicentur, sic primo obiicitur; aduersus primum. Si ex proportione, quae inter actum, et obiectum requiritur, recte colligeretur illum debere esse spiritualem, aut supernaturalem, si obiectum easdem conditiones habeat; pari ratione colligendum esset eundem actum fore substantiam, aut infinitum; si ad obiectum tendat, quod substantia sit, aut infinitum. Id autem falsum est in actibus creatis etiam beatificis, qui et accidentia sunt, et finitam habent entitatem: ergo. Deinde D. Thomas 1. p. quaest. 84. art. 7. aperte docet intellectum nostrum semper intelligere in hac uita quidditatem uniuersalem, ut existentem in aliquo particulari. Non ergo circa obiecta uniuersalia proprios conceptus elicimus, atque adeo neque spirituales.

Prima obiectio contra 1. argum.

Aduersus tertium. (Neque enim contra secundum quicquam occurrit). Non anima proprie, sed homo est, qui sempiternitatem appetit; et tamen ipse mortalis est. Ergo ex ea appetitione perperam concluditur immortalitas. Accedit quoniam non brutae animantes solum, sed res etiam inanimes propensiones suas, atque, ut ita dicam, desideria semper essendi non obscure declarant; illae quidem assidua uictus quaestione, fugaque nocentium, ac similibus aliis instinctibus: hae autem innato appetitu loci conseruantis, conformationeque figurae illius, quae minus pateat externis incursibus: et tamen nemo hinc deducit immortale quippiam eis inesse; ergo neque inde in nobis partem aliquam immortalem reperiri apposite confirmatur. Illa etiam communis hominum appetentia gloriam comparandi, ad eumque finem moliendi plurima, de quibus in eodem tertio argumento agitur, mortalitatem potius humanam probant, quam perennitatem naturalem animarum. Siquidem quemadmodum natura pro assidua corruptione indiuiduorum, propagationem generationum inuexit, ita homines certi alioquin sui interitus, ea opera coeperunt machinari, quae suorum auctorum memoriam conseruarent, ut quo possent modo, uiuerent, si non in se, at certe in animis eorum, qui superessent.

2. Obiectio contra 3. arg.

Aduersus quartum. Si naturaliter contingeret aliquando ecstasis, sepissime quoque posset contingere: hoc autem nemo concedit; ergo neque illud erit concedendum. Probatur maior, quia ecstasis, ut in argumento dicitur, uehemens applicatio est partis rationalis, ita ut uires animae non suppetant ad concurrendum cum sensibus, necesseque sit eos interim feriari: multo autem suauius illa eueniet quoties (quod non raro accidit) sensus omnes etiam interni somno sopiuntur, quandoquidem anima tunc uires omnes suas applicare poterit ad operationem partis intellectiuae; ergo et caetera.

3. Obiectio contra 4. arg.

Aduersus quintum. Id taedium, quod nobis ingerenatur ex caducarum rerum usu, ac experimento, non tam ex earum, quam nostra limitatione, imbecillitateque prouenit: quatenus ex frequenti ipsarum usu, et perceptione fatigamur: unde natura de taedio nobis prouidit, quo illas respueremus, antequem quidquam nocumenti inferrent. Itaque taedium (quod argumentum contendit) non in res ipsas nude, et secundum se spectatas; sed in easdem ut cum appetitus nostri limitatione, ac imbecillitate sunt coniunctae, concitatur.

4. Obiectio contra 5. arg.

Aduersus sextum. Si appetitus ordinate appetat, non nisi ad felicitatem humano modo comparabilem, idest, finitam anhelabit; siquid uero ulterius desideret; appetitio, aut inefficax erit, et conditionata; aut certe ad optanda ea, quae fides ostendit, supernaturaliter eleuabitur.

5. Obiectio contra 6. arg.

6. Obiectio contra 7. arg.

Aduersus septimum. Etsi nulla essent ex actionibus studiosis speranda praemia, ipsae tamen per se dignae haberentur, quibus homines rationis compotes operam darent, ob illam conformitatem naturalem ad rationem. Illud autem quod Augustinus de se fatetur, hominis est propriam infirmitatem, appetitusque deprauati procliuitatem agnoscentis.

7. Obiectio contra 8. arg.

D. August.

D. Bernard.

D. Cyprian.

Aduersus octauum. Quoniam ipsi uirtuti satis est praemium delectatio, ac iucunditas, quam secum affert. Unde 1. *Ethicorum* cap. 8. studiorum uita, inquit Aristoteles uoluptate non eget foris adiungenda; sed habet in se ipsa uoluptatem. Rursum in supplicium uitii sat erit id, quod Augustinus primo *Confessionum* cap. 12. scripsit his uerbis; Iusisti Domine, et sic est, ut omnis animus inordinatus, ipse sibi sit poena. Quod item Bernardus 5. *De consideratione* omne aduersum Deo, et sibi aduersari necesse est, ut sit fera querela; Quare factus sum mihi met ipsi grauis? Et confirmatur obiectio, quoniam ad generalem Dei prouidentiam sufficere uidetur, si probi nonnulli inueniantur, quibus prospere contingat in hac uita, si flagitiosi, quibus aduerse, quorum sunt exempla non rara; quanquam in omnibus indiuiduis ita non eueniat. Quapropter temporariis uirtutum actionibus, temporario praemio satisfiet, idest, honore, ualetudine, ac diuitiis: qua de causa D. Cyprianus sermone *De resurrectione* grandi Dei beneficio acceptum refert, quod in futura etiam uita, praesentis obsequia temporanea uelit rependere, cum satisforet certa aliqua duratione compensari.

Respondetur ad 1. obiect.

Quae proportio debeat esse actuum ad obiecta

Ad primum dicendum, obiectorum conditiones in actus debere redundare; modo tamen illae a toto genere actuum non sint alienae: constat autem actus creatos ex suo genere accidentia, unde nec substantiae esse possunt, neque infinitae entitates, esto in substantiam infinitam terminentur. Nimirum quantunuis duo aliqua inuicem proportionentur, si duo sunt, in aliquo distingui ipsa oportet. Ad id, quod ex D. Thoma citabatur, dicendum non formari quidem a nobis saltem ordinarie conceptus rerum uniuersalium in hac uita, absque ulla connotatione et respectu ad rem singularem: non tamen eum respectum obesse quominus proprii sint tales conceptus, ac formaliter ipsorum uniuersalium quemadmodum albi, et patris conceptus formaliter, ac proprie sua obiecta repraesentant, quanuis cum obliqua repraesentatione subiecti, ac filii.

Ad 2.

Liber hominis appetites ad aeterna se extendit

Quod aduersus tertium obiicitur, dilues negando haud recte colligi ibidem immortalitatem, alicuius saltem nostrae partis. Porro res aliae rationis expertes ad ipsam aeternitatem desideria sua non extendunt, sicuti homo; cum ad eam extensionem nobilior appetitus, et cognitio requiratur, quam sit in ipsis. Rursum negandum ex appetentia gloriae, operumque magnificorum extructione mortalitatem omnimodam colligi; sed tantum totius hominis. Quin uero non leue est argumentum liberi ingenii, mentisque suapte natura a materia independentis, in id artificium incidisse homines, ut se in uiuentium animos inferant, quo uiuant, extentque. A qua solertia, quam longe sint caetera mortalia, nemo non intelligit.

Ad 3.

Qua ratione ad ecstasim praerequiratur sensuum operatio

Quod aduersus quartum obiicitur, sic explicandum. Ecstasis, id est, operatio solius partis rationalis, si naturaliter fiat, inchoari debet sociis sensibus; quam ipsi sequi tandem non possint, utpote uehementem: atque adeo solitariam relinquant. Unde si sensus nihil operentur, aut somno, aut defectu generalis auxilii, prodire non poterit pars rationalis in nouum actum, nimirum, quia initio operationis necesse est, praebeant sensus occasionem intellectui sese applicandi; quae tamen applicatio uehemens non erit, ut oportet, si a uigilia in somnum dilabamur, sed remissa potius, et flaccescens.

Ad 4.
Ad quintum, et sextum

In quintum argumentum obiectio falsum assumit. Non solum enim ex fatigatione, imbecillitateque nostra prouenit taedium circa res creatas; sed ex

tractatione assidua earum, qua melius cognoscimus, quantum sit in eis inane. Quae aduersus sextum, et septimum argumentum opponuntur, non est cur enodemus, cum illa argumenta topica omnino sint.

Quod uero aduersus octauum, ita est resoluendum. Delectatio, et dolor intrinsece consequuntur ex studiosa, prauaque actione. At praemium extrinsecum quid esse debet, a supremoque gubernatore datum. Adde non raro euenire, ut multo maior sit labor studiosae actionis, quam oblectatio inde exorta: rursumque maior in pecato uoluptas, quam doloris stimulus: ut proinde hoc non satis punitum censeatur, neque illa sufficienti praemio cumulata. Ad confirmationem dic ipsas etiam actiones morales (de iis enim, quae diuini ordinis sunt, res est apertior) haud satis rependi praemiis temporariis, quia licet actiones illae breui transeant, sunt tamen ex se fixae, atque ut ita dicam, aeternae bonitatis, sicuti et iudicia de obiectis immutabilibus aeternae sunt ueritatis. Itaque qui Deum colit, qui maioribus obsequitur, aut alienis malis miseretur, per accidens deponit eos affectus, uel quia materia deest, uel quia morbo, negotioue impeditur, uel quia arbitrium habet ad bonum defectibile. Vnde si nihil horum interueniat, studiosae affectiones per se erunt immobiles; atque adeo immortali felicitate dignae. In quam sententiam luculenter Firmianus lib. 7. *De diuino praemio* cap. 10. ita scribit. Ipsa uirtitus perpetuitas indicat humanum animum permanere; et paulo post; Virtus perpetua et constans est, et praemium illius sempiternum. Adde si anima a corpore separata tantisper duret naturaliter dum praemia uel supplicia sustinet; posse illam semper manere, cum nulla sit ratio, cur certo aliquo tempore transacto, debeat occumbere.

Ad 7.

Honeste actioni praeter delectationem, praemium aliquod deberi

Virtutis actionem per se fixam esse, per accidens tamen breui perdurare

## ARTICVLVS V.
## QVID DE EADEM RE FIDES DECERNAT.

Quoniam, ut initio huius disputationis diximus, cognitio immortalitatis animarum praecipui cuiusdam momenti est, operae pretium erit non solum quid gentium philosophi, quidue naturalis ratio; sed quid etiam Catholica Fides ea de re decreuerit, indicare. Sit ergo prima assertio. De fide diuina est animam rationalem, homine intereunte, non extingui. Hanc multa sacrae paginae loca confirmant. Etenim *Genesis* 37. Descendam (inquit Iacob) ad filium meum lugens in infernum; quem locum, etsi Hebraei quidam de descensu corporis ad sepulchrum accipiunt, plures tamen ex Sanctis Patribus, de descensu animae ad inferos interpretantur. Nec immerito, quandoquidem sepulchrum nullum erat, ubi conditus esset Ioseph existimatione parentis, quem putauerat a fera dilaceratum, deuoratumque fuisse, ut ad sepultum filii corpus se decensurum uere affirmaret. *Iob* 21. Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt. Et ne inferni nomine solum sepulchrum intelligeremus, eodem capite singulari numero de quolibet impio subauditur. Ad sepulchra ducetur, et in congerie mortuorum uigilabit. Quia, inquit Lyranus, quanuis corpus mortuum sepeliatur, anima tamen, quae immortalis est, uigilabit, et punietur. *Ecclesiastes* 12. Ibit homo in domum aeternitatis suae; etc. ac paulo post interiecta nonnullarum rerum pereuntium, maxime hydriae similitudine ad fontem attritae, additur. Reuertatur puluis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. In libro etiam *Sapientiae* a capite 2. ad 5. usque planissime traditur animas cum corporibus non occumbere, siue illae piorum hominum, siue ipiorum fuerint. Itaque coarguuntur ii, qui hanc, quam degimus, temporariam uitam solumodo agnoscebant, nec ullam

1.Assertio. De fide esse animam hominis non extingui. Genes.

Iob

Ecclesiastes

Sapient.

post hominis mortem esse credebant, uel felicitatem, uel miseriam: ac proinde corpus in cinerem abiturum, spiritum uero, ut mollem aerem, dissipatuque facilem, diffundendum esse, cum tamen tantus sit sanctarum animarum bonos, ut in manu Dei sint, et seruentur, quippe quae spem immortalitate plenam habuerint in hac uita; improbarum uero tanta turbatio, ut uel ipsa sanctarum salus, quam minime sperauerant, inanemque crediderant, sui admiratione stupentes reddat, seraque poenitudine fateri cogat. Nos insensati uitam illorum aestimabamus insaniam, ac sinem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei. Additque Salomon talia dixisse in inferno, qui peccauerunt. Nota sunt quae in 2. *Machabaeorum* libro pro immortalitate animorum celebrantur, siue cum cap. 12. in sacrificium mittuntur pecuniae Hierosolymam, gratia exoluendi defunctorum animas a poenis (nam et ante aduentum Christi purgabantur, si opus erat; donec in patrum locum reciperentur) siue cum capit. 6. et 7. Eleazarus, Machabaeique fratres raptantur ad necem, religionis tuendae causa; nihilo enim magis se consolabantur, quam quod post totius corporis lanienam superuiuerent animae, quarum potissima ratio habenda esset; ac si iam tunc haereret eorum cordibus Christi Domini sententia, qua monuit ne timeremus eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Itaque Eleazarus, consulentibus, ut Libero sacra faceret, quo uitam seruaret, haec uerba reddidit. Etsi in praesenti tempore supliciis hominum eripiat, omnipotentis manum nec uiuus, nec defunctus effugiam. Quod non ita esset, nisi aliquid ipsius doloris, ac suplicii capax post mortem crederet extiturum, nimirum animam. Multa alia e ueteri Testamento testimonia proferre possemus, ut iure mirandum sit scripsisse Diuum Augustinum libro quarto *Quaestionum super Numeris* quaestione 33. difficile in eo inueniri quippiam euidens de statu animae post mortem.

Machab.

Eleazari praeclara uox de animae immortalitate

In nouo etiam Testamento locus ille *Matthaei* 10. ad quem paulo ante allusimus. Nolite timere eos, et caetera. Non solum animorum perpetuam immortalitatem commendat; sed etiam naturaliter immortalem esse declarat; ut ad secundam assertionem perpendemus; quo pro inde loco utuntur e Sacris Doctoribus nonnulli speciatim D. Athanasius quaest. 9. *Ad Antiochum*. *Matthaei* quoque 22. allegat Christus Dominus illud *Exodi* 3. Ego sum Deus Abraham, et caetera aduersus Sadducaeorum dogma, quo spirituales, semperque uiuentes substantias negabant; additque. Non est Deus mortuorum, sed uiuorum; eo utique instituto, ut antiquorum Patrum animas etiam tunc uiuere declararet: atque ita expendunt citatum locum D. Chysostomus *Homilia* 71. in Matthaeo. Theophilactus, Caietanus et alii ad locum illum capit. 22. Mitto pleraque praesertim ex D. Paulo, quibus nonnulli propositam assertionem uberius confirmare nituntur, cum ea (quod non satis uidentur aduertisse) futuram solummodo resurrectionem aperte denuntient; aut aeternam gloriam proborum: uel improborum ignominiam, ad eumque finem Deum naturam humanam sibi copulasse, condidisseque ante, ac post Incarnationem leges, et sacramenta instituisse, quibus omnes, si uellent, aeternae felicitatis participes ficerent. Enim uero posset impius quisque (in quo iam olim Arabes nonnulli peccauerunt, teste Eusebio lib. 6. *Historiae Ecclesiasticae* cap. 26. et Augustinus libro *De haeresibus* numero 83.) astruere futuram quidem totius hominis, atque adeo animae perpetuam durationem, quam tamen anima etiam interruperit in morte, et a resurrectionis momento debeat auspicari. Illud apertius urget, non intercidere animam, cum moritur homo; quoniam de fide est beati quamque, si nullam hinc deferat culpae noxam, aut paenae reatum, simul ac a corpore separatur: quapropter de qualibet earum certa erit Fidei essertio a nobis proposita.

Testimonium ex nouo Testamento

D. Athanas.

D Chrysost. Theophil. Caietan

Euseb. D. August.

Ex peculiaribus etiam euentis enimarum quarundam apud sacras literas palam concluditur quid iuxta Catholicam Fidem sit de omnibus uniuersim sentiendum. Atque in primis *Samuelis* animam post dissolutionem a corpore permansisse, constat ex secundo *Regum* 28. ut edisserit Iustinus Martyr in *Colloquio cum Triphone*. Idem quaestione 76. earum, quas gentes ponunt, ad hoc ipsum istitutum adducit Christi Domini uerba ad Latronem. Hodie mecum eris in paradiso. Idem *Lucas* 26. et pauperis, et diuitis animas ab ipso eorum interitu suis locis seruatas esse docemur. Simile quid tenendum de anima illius, qui cum *Luca* capit. 12. de horreis amplificandis meditaretur, ea ipsa nocte repetendam ab eo esse animam audiuit. quam sententiam eleganter Diuus Ambrosius capite decimo libri *De bono mortis* ad praesens institutum expendit; quod ea, quae repetuntur, et tradita olim fuerint, et nunc etiam repetita, permaneant, et caetera. Quin et beatissimam Christi animam a primo suae creationis instanti fore in aeternum duraturam haud difficile intellectu est, quam sit Fidei Catholicae: ex qua constat descendisse illam ad inferos in triduo suae separationis a corpore, et nunquam non fuisse beatam: status autem beatitudinis immortalitatem includit. Consequens ergo fit, ut similem existentiae perennitatem in reliquis hominum animis iuxsta diuina oracula agnoscamus.

Samuelis animam post mortem superstitem fuisse

Idem de aliis constat ex Euangel.

D. Ambros.

Christi animam perpetuitatem duraturam fides docet

Eandem assertionem comprobat decretum Lateranensis Concilii sub Leone X sess. 8. in hunc modum. Damnamus, sacro approbante concilio, omnes asserentes animam intellectiuam esse mortalem. Subditurque id ex Euangelio constare, quo animam ab hoste occidi non posse perhibetur. Comprobat etiam Concilium Viennense sub Clemente V. Referturque secunda Clementina de Trinitate, et Fide Catholica § Porro. Sane uero uniuersae Ecclesiae consensio abunde suadet e Fide esse propositam assertionem: unde D. Augustinus *Epistola* 3. ad Volusianum. Quis nunc est, inquit, extremus idiota uel quae muliercula, quae immortalitatem animae non credat, uitamque post mortem futuram? Quapropter mirandum non est si idem D. Augustinus, Chrysostomus, Ambrosius Isidorus, aliique nostrae religionis proceres eandem ueritatem pari consensu astruant, quam etiam graues quidam Theologi inter fidei articulos retulerunt, de quo tamen suo loco.

Decretum Later. Conc. de assertione proposita Conc. Vien.

D. August.

Secunda assertio. De fide est non solum animam rationalem non extingui homine intereunte, ut superiore assertione tradidimus, sed etiam natura sua immortalem esse. Probatur, quoniam decretum illud Lateranensis Concilii, cuius paulo ante meminimus, pronuntiat animam non solum per se essentialiter formam corporis, sed etiam immortalem; Quae uerba, si plane accipiantur, haud dubie significant animam per se, essentiamque suam esse immortalem. Velle autem decretum sic interpretari, ut dicatur solummodo animam iuxta naturam suam esse formam corporis, ibique illarum dictionum. Per se, atque essentialiter, uim sistere; deincepsque immortalem non ex natura sua, sed gratuito Dei dono praedicari: extorta prorsus, atque ab eius loci instituto aliena interpretatio erit; cum de natura animae, non uero de iis, quae gratuito illi competunt, decretum illud procedat; alioquin sine ulla necessitate tam asserueranter decerneretur esse illam corporis formam, cum indubitatum sit animas de materiae potestate eductas, eidemque affixas, ac minime per se, et seorsim cohaerentes, formas esse rerum earum, quas constituunt. Poterat uero non minima ea de re dubitatio oriri, si per se sint subsistentes, aliundeque proueniant, quam ex materia, uti conuenit humanae animae.

2. Assertio. Animam esse natura sua immortalem fide tenendum

Non sufficit animam dicere immortalem ex sola Dei indulgentia

Deinde, *Sapientiae* secundo habetur. Deus creauit hominem inexterminabilem, et ad imaginem similitudinis suae fecit illum. Quem locum etsi

Sapient.

interpretes fere referant ad Adamum (nec immerito cum proxime de ipsius lapsu tractetur) cuius non solum anima incorruptibilis est, sed corpus etiam fuisset dono iustitiae originalis a corruptione exemptum, si se a peccati lapsu custodisset; palam est tamen eandem, ut ita dicam, inexterminabilitatem ex parte saltem animae omnibus quadrare naturaliter. Quapropter tum Plato in *Alcibiade*, tum Porphyrius apud Boetium, referente Eusebio, libro 11. *Praeparationis Euangelicae* capite decimo quarto, non de Adamo, aut alio singulari homine, sed de omnibus celebrarunt esse illos inter caetera animantia ad Dei imaginem conformatos. Cum ergo secundum naturam suam homo sit Dei imago (enitet autem illa potissimum in cognoscendi, et appetendi capacitate illimitata, in dominio, indifferentiaeque actuum suorum, in cupiditate ingenita aeternitatis) erit utique secundum naturam suam inexterminabilis, ratione saltem animae, cui illa imago impressa est. Item in ea Christi Domini sententia, Animam non possunt occidere, est haud dubie intelligendum non posse naturaliter; quemadmodum et corpus, quod occidi posse dixerat, naturaliter perimi potest ab hominibus, nisi perabsurde credamus in tam breui sententia uerborum significationem mutauisse. Concinit his Gregorii Magni effatum libro quarto *Moralium* capit. septimo; Anima neque per uitium, neque per supplicium essentialiter uiuere amittit.

Plato.
Euseb.

D. Greg.
Magnus

Praeterea ita licet argumenti. de fide est animam esse substantiam spiritualem suapte natura, ergo et esse suapte natura immortalem. Consequentia plana est; cum nulla substantia spiritualis attingi possit a primis qualitatibus, qui omnis corruptionis principia sunt. Antecedens uero ostenditur; nam cap. Firmiter de summa Trinitate asseritur homo compositus ex natura corporali, et spirituali, id est, corpore et anima; quod etiam habet *Epistola Sophronii*, cuius superius meminimus, quamque Concilium ut catholicam confirmat. Frequenter quoque in sacris literis anima rationalis spiritus appellatur ad *Romanos* 8. *Ioannis* 4. et 19. *Psalmi* 145. *Ecclesiastes* 12. *Matthaei* 27. *Lucae* 23. ac D. Hieronymi *Epistola ad Pammachium* inter errores Origenis censet asserere animam corpoream esse. D. Chrysostomus etiam *Homilia* 3. de incomprehensibili Dei natura; Tertio item in *Genesim*. Diuus Gregorius 5. *Moralium* capit. 25. Nazianzenus *Epistola ad Euagrium*. Augustinus libro *De haeresibus* numero 86. atque alibi communi assensu astruunt spiritualem esse animam nostram. Cum igitur haec de animae spiritualitate assertio ita sit in Ecclesia communis, inter fidei dogmata plane censebitur; et quod est consequens de fide etiam erit ipsius naturalis immortalitas.

De fide est animam hominis esse spiritualem

D. Hierony.
D. Chrysost.
D. Greg. Mag.
D. Greg Naz.
D. August.

Postremo probatur ex capite 1. *Geneseos* (ubi homo ad imaginem, et similitudinem Dei quasi e consulto factus esse dicitur); Faciamus, inquit Deus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Hanc autem rationem imaginis ad animam rationalem referri communis est Patrum sententia. Quae tanta animae excellentia ac nobilitas, haud obscure immortalitatem ipsius commendat. Quis enim sibi nonpersuadeat, tam sapientem artificem ad absolutionem tanti operis imaginem suam in re tam uili ac futili, atque est anima mortalis, quae saepe unius horae durationem non impleat, ex pressisse, cum celebris ille Phidias noluerit effigiem suam nisi in scuto Mineruae pretiosissimo, quod aeternum fore putabat, includere tanto artificio, ut nunquam nisi comminuto clypeo posset auelli. Et uero D. Augustinus (ut alios Patres omittamus,) libro *De quantitate animae* cap. 2. Auctor libro *De Ecclesiasticis dogmatibus*, ad finem, et D. Bernardus sermone 71. in *Cantica* rationem imaginis inter Deum et hominem, in immortalitate ipsa, et aeternitate animae rationalis collocatam esse expresse affirmant. His accedit, quod eodem capite 1. de principatu hominis super reliqua fere omnia creata expressum est: tanta enim hominis praerogatiua manifeste testatur ipsius animam, penes

Commendat animae immortalitatem ad Dei imaginem facta esse

D. August.

D. Bernard.

Item hominem reliquis fere creatures praepositum cum imperio

quam ratio principatus est, non esse materialem, et caducam, sed superioris cuiusdam, atque eminentis naturae, a conditione reliquarum animarum longe distantem, atque adeo omnis interitus, et corruptionis incapacem. Neque uero sapientiae, uel potentiae tanti auctoris dignum foret hominem, cuius uitae periodus breuissima est, utraque ex parte corpore scilicet et anima mortalem totihuic mundo praefecisse, in quo sunt multa indiuidua, non solum ex corporibus simplicibus, sed etiam mixtis, iisque animantibus, longissimae durationis. Praesertim cum *Deuteronomium* cap. 4. non tantum haec inferiora, sed et superiora Sol, Luna ac caetera astra a plerisque putantur suapte natura corruptionis expertia in ministerium ipsius hominis facta asserantur.

Eiusdem rei facit indicium locus cap.2. *Genes.*

Probatur item ex eo loco cap. 2. eiusdem libri *Geneseos*, in quo de singulari conditione primae animae rationalis, ac de conditionibus natiuae eius nobilitatis expressa est mentio. Formauit igitur (inquit Moyses) Dominus Deus hominem de limo terrae, et inspirauit in faciem eius spiraculum uitae; seu accomodatius ad uocem Hebraicam spiraculum uitarum, et communis Patrum interpretatio est, nomine spiraculi, animam rationalem intelligi, quod paraphrasis Chaldaea apertius reddit loco spiraculi, animam ponens. Sed nec textus communis eius partis declarationem praetermisit, continuo adiungens; Et factus est homo in animam uiuentem. Quod autem spiraculum uitae, seu uitarum ditatur, quanuis multae rationes afferantur, ea Caietani ad hunc locum uidetur aptissima, quia cum anima una sit uita substantialis, multarum nihilominus functionum uitalium, quae uitae quaedam sunt, principium est, perennique respiratione suae praesentiae ualde sensibile praebet indicium.

Spiraculi nomine rationalis anima denotatur

Tres rationalis animae praerogatiuae. Prima

Iam uero conditiones nobilitatis animae ingenitae, quae ibidem exhibentur, tam insigniter naturalem eius immortalitem ostentant, ut nemo, qui rationis, nedum fidei lumine captus non sit, rem tam illustrem non contueatur. Prima conditio nobilitatis est, ab ipso Deo fuisse inspiratam; non enim cum materia quasi commixta, et ex illius gremio educta; sed extrinsecus adueniens, corpori infusa legitur. Caeteris quidem animantibus praecepit Deus, ut ab aliis producerentur. Producant, inquit, aquae reptile animae uiuentis, et uolatile super terram, et caetera. Item Producat terra animam uiuentem in genere suo, iumenta et reptilia, et bestias terrae, secundum species suas; simile quid de homine aut eius anima minime protulit, sed et quod primum hominum per se efformauerit, et quod eius animam independenter a corpore et absque ullo respectu eius causalitatis creauerit, creatamque ueluti hospitem in idem corpus exceperit, aperte significatur: et consonat illud Aristotelis 2. lib. *De Generatione animalium* cap. 3. hinc, ut uidetur, depromptum, mentem uidelicet extrinsecus aduenire, diuinamque et separabilem esse. Secunda nobilitatis animae rationalis conditio est, quod quasi ex pectore diuino, intimisque praecordiis efflata dicitur. Non quidem quod sit pars aliqua diuinae essentiae, circa quod aliqui turpiter errarunt, ab antiquis Patribus grauissime reprehendi, sed quod et genere essendi immortali, et ui potentiarum, atque operationum spiritualium intime, ac recondite diuinam naturam participet. Vnde D. Ambrosius *De bono mortis* cap. 9. citans hunc locum, iure hominem exortatur, ut cum illo puro, ac perpetuo, et immortali bono maneat, ipsi adhaereat, et cum ipso sit, de quo cognationem ducit; illudque iam olim a D. Paulo *Actuum* 17. inculcatum repetit; Cuius et genus sumus. Et D. Bernardus sermone 2. *De natiuitate Domini*. Spiritus sane, inquit, non communem, sed propriam habet conditionem, nec in massa creatur, sed singuli quadam excellentia inspiratur. Agnosce o homo dignitatem tuam, agnosce gloriam conditionis humanae, et caetera. Tertia nobilitatis conditio non semel hic nec leuiter inculcata est, quod

Secunda

D Ambros.

Tertia

anima rationalis uere spiritus sit, ab omni concretione materiae immunis, quanuis eam informet, ita ut unus homo ex spiritu, et materia simul constans, omnia corpora, omnes animas rationales, omnesque spiritus completos, Angelicos uidelicet, ueluti clausula omnium operum diuinae creationis in se contineat; idcirco et spiraculum dicitur anima rationalis, et a Deo inspirata, ut aliqui ex Patribus adnotarunt. Hanc igitur secundam assertionem ita certam putant Theologi nonnulli, ut opinentur oppositam sententiam haeresis nota damnatam esse, tum ob communem Sanctorum Patrum ac, Conciliorum, quibus hactenus usi sumus, declarationem; tum quia pleraque, quae ex sacriis literis pro immortalitate animae adducta sunt, efficere etiam uidentur illam esse immortalem natura sua cum tanquam miraculum non proponantur. Vnde *Sapientiae* 2. culpantur grauiter tanquam in naturali lumine caecutiuerint, qui eam ueritatem non attiggerunt.

## ARTICVLVS VI.
### ARGVMENTORVM QVORVNDAM SOLVTIO ADVERSVS DOCTRINAM SVPERIORIS ARTICVLI.

Non solum Sadducaei, quorum mentio fit in sacris literis *Matthaei* 22. et *Actorum* 23. fidem de animorum immortalitate, quam hactenus asseruimus, impie abrogabant; sed post illa tempora nonnulli etiam de haereticorum grege, ut est apud D. Augustinum libro *De haeresibus* numero 83. atque Eusebium ab eodem Augustino citatum. D. Isidorus lib. 8. *Etymologiarum* cap. 5. Quod etiam refertur 24. q. 3. cap. quidam; aliosque recentiores. Cuius impii dogmatis argumenta sic habent.

Castro aduersus haeres. lib.2. haeresi.7. de anima

Primum argumen.

Primo, Diuinae literae significare uidentur animam cum homine pariter extingui. Namque 3. cap. *Ecclesiastes* ita scribitur. Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus; et ostenderet similes esse bestiis; idcirco unus interitus est hominis, et iumentorum, et aequa utriusque conditio; sicut moritur homo, sic et illa moriuntur; similiter spirant omnia, et nihil habet homo iumento amplius. In lib. etiam *Sapientiae* c. 2. ita habetur. Ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tanquam non fuerimus. Demum, ut plura omittam, quae ex eisdem Sacrae paginae locis deduci possunt. *Iob* 14. omnis spes homini praeciditur resurgendi. Consequens ergo uidetur animi humani immortalitatem ad nostrae fidei dogmata minime spectare.

Secundum argum.

Secundo, Idem probatur ex illo sextae Synodi in *Epistola Sophronii* quae habetur actione 11. atque ab ipsa Synodo tanquam Orthodoxa recepta est actione 13. Intellectualia, atque inuisibilia nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur: non tamen sunt immortalia per naturam; sed gratiam eis largitus est (nimirum Deus) a corruptione ea, et a morte coercentem. Sic hominum animae permanent incorruptae, sic immortales perseuerant. Haec Sophronius. Nec dissimilia legimus apud D. Hieronymum 2. *Contra Pelagianos*, Damascenum libro 2. *Fidei Orthodoxae* cap. 3. et 12. D. Bernardum lib. 5. *De consideratione*. Quae quanuis de Angelis ex instituto sint dicta, multo magis in animam humanam quadrare uidebuntur. Vnde noua argumenti confirmatio elicitur. Angeli perfectiores sunt animis nostris, ut articuli sequenti trademus, et tamen de fide non est Angelos esse spirituales, ut scribit D. Thomas q. 16. *De malo* art. 1. ex Augustino lib. 12. *De Ciuitate Dei* cap. 10. latiusque disputatur ad primam partem quaest. 50. art. 1. Imo uero neque de fide est eos esse magis incorruptibiles, quam

D. Hierony.
D. Damasc.
D. Bern.

D Thom.
D. August.

haec inferiora; ut sentit Gabriel in 2. dist. 2. q. 1. Multo igitur minus da fide erit animorum rationalium immortalitas.

Tertium argum.

Tertio, Quoniam D. Augustinus lib. 10. supra *Genesim ad literam* c. 21. et 23. et in lib. *Retractationum* cap. 1. lib. item *De Baptismo paruulorum* cap. 10. alibique non raro uidetur credere animas hominum a parentibus propagari, et quod inde necessario sequitur a materia suscitari; quod tamen a forma immortali alienum est; quare, et caetera.

Locos congerit Pererius lib.4. in Genes. in disp. de creatione animae q.2.

Quartum argum.

Quarto, Anima rationalis habere nequit operationem a corpore omnino independentem; igitur neque existentiam habere poterit extra corpus, atque adeo mortalis erit. Assumptum probatur illo celebri Aristotelis pronuntiato lib. 3. *De anima* cap. 8. text. 39. Eum, qui contemplatur, una cum phantasmate contemplari oportere. Si ergo anima nostra intelligendi operationem sine corporis adminiculo expedire nequit, nullam certe expediet, proindeque extra corpus non poterit cohaerere. Quod siquis occurrat ad intelligendi functionem pro huius uitae conditione adhiberi phantasmata, ut res tum singulares, tum etiam communes in ipsis contentas mens contempletur; non autem ut in parte corporea recipiatur intellectio. Is nihilominus argumenti uim non effugiet: quandoquidem siue hoc, siue illo modo humana mens ad suam operationem corpus efflagitet; ratum manet absque ullo corporis ministerio futuram otiosam; ac proinde minime posse absque illo in rerum natura perseuerare.

Occurritur obiectioni quae posset proponi

Quintum argum.

Quinto, Anima rationalis ideo fortasse immortalis dicitur, quod e potentia materiae non exeat; sed haec ratio nulla est; ergo. Probatur minor, quoniam supernaturales formae de potentia subiectorum non educuntur; et tamen naturaliter corrumpuntur, ut gratia, et Charitas per uitiosam, lethalemque actionem. Contra uero coelorum formae, quae incorruptibiles sunt, materiales existunt; quare et caetera.

Sextum argum.

Sexto, quod pati potest naturaliter, corrumpi etiam naturaliter potest; cum passio sit inchoata quaedam corruptio: sed anima uiuente homine, tristitiam, et quod plus est dolorem patitur naturaliter; erit igitur per naturam corruptibilis.

Respondetur ad 1. argum.

Ad haec ita respondendum. Ad primum late patet solutio apud D. Gregorium lib. 4. *Dialogorum* cap. 4. aliosque sacrae scripturae ad citata loca interpretes. Dicendumque breuiter, uerba illa in persona impii proferri, eo fine, ut nulla existimatione futurae uitae, ad praesentis gaudia incumbamus. Quo etiam pacto responderi posset, ad caeteros locos ibidem relatos: quamquam fortasse non de anima sigillatim, sed de toto homine procedunt; quem uerissimum est non posse post mortem reuocari ad uitam naturaliter.

Ad secundum

Ad secundum, colligi potest solutio ex iis, quae initio primi articuli notauimus; dicendumque omnia citra Deum mortalia esse, aut per se, propriamque naturam, ut sublunaria; aut per potentiam alienam, id est, diuinam; eamque non ordinariam, sed absolutam; sicque intelligi debere, quod ex Sexta Synodo, atque ex Patribus in argumento citatis adducitur. Responderi etiam potest caetera omnia praeter Deum mortalia esse, id est, mutabilia, ut interpretatur Augustinus lib. 7. *Contra Maximum* c. 12. et D. Bernardus sermone 71. in *Cantica* quo etiam sensu scribit D. Leo sermone *De resurrectione*. Vnicuique quo ex alio in aliud mutatur, mors est non esse, quod fuit; et ortus est esse, quod non fuit; quod plane inuenies apud Philosophum 8. *Physicorum* cap. 3. text. 24. Ad confirmationem concesso toto antecedente, neganda est consequentia, quia ut ex dictis liquet animae immortalitas definita est de fide, non sic Angelorum; quamquam temerarium esset, aut etiam erroneum Angelos, aut mortales esse, aut corporeos asserere.

D. August.
D. Bern.
D. Leo Pap.

Certior est animarum immortalitas quam Angelorum

Ad tertium dices D. Augustinum dubitasse quidem olim de animarum propagatione; sed nunquam de immortalitate, de qua librum etiam composuit, caeterosque passim simili doctrina respersit. Quod si tunc aperte intelligeret cum immortalitate propagationem illam stare non posse; eam haud dubie pernegasset. Itaque potior sancti Doctoris dubitatio uersabatur in explicanda peccati originalis diffusione per Adami posteros, quam haud satis perspiciebat, si ex ipsius Adami natura tota etiam posterorum natura quoad corpus, et animam non descenderet per generationem, ut latius expendit Bellarminus lib. 4. *De amissione gratiae* cap. 11. Ad tertium

Ad quartum recte occurrebatur, ad impugnationem uero dicito multum interesse, quomodo dicatur anima ministerio corporis egere ad suam operationem; An ne, ut eo sibi instrumenta operandi comparet, id est, species; an modo alio? Si enim hoc posteriori, nullam fortasse habere posset operationem, atque adeo neque existentiam extra corpus: poterit tamen si priori; siquidem contingere potuit, ut in statu, quo a corpore desereretur, aliter ab auctore naturae prouideretur, ut reuera prouisum fuit, infundendo, uidelicet, ipsas species; qua de re inferius agendum. Ad quartum Quae sit dependentia animae a corpore

Ad quintum, neganda minor. Ad probationem uero neque formas supernaturales proprie corrumpi naturaliter a nobis, sed moraliter; neque creatas esse; sed potius de subiectorum potentia, supernaturaliter quidem tanquam de potentia obedientiali eductas. Iam uero coelorum formae, etsi educibiles sint de materia, qualitates tamen uendicant a contrariis inexpugnabiles. Ad quintum

Ad sextum, occurendum naturalem corruptionem nullam esse, quae ex primarum qualitatum impressione non proueniat; sine qua tamen posse in anima excitari tristitiam ex sola rerum moestarum cognitione, palam est. Porro ex dolendi actu, ad quem anima concurrit, media potentia corruptibili; solum concluditur illam principium quoque esse materialium operationum, ac urgeri, cogique posse ne corpus extreme affectum ulterius informet; non autem eam necessario corruptibilem esse, ac materialem. Ad sextum

## ARTICVLVS VII.
## VTRVM ANIMA SEPARATA ESSENTIALITER AB ANGELO DISTINGVATVR.

Esse humanas animas essentia aequales inter se, probabile iudicant graues Auctores, ut lib. 2. *De Anima* c. 1 quaest. 5. habetur. Quo uero pacto se habeant cum Angelis comparatae, quaestio est, in qua tres omnino sententias inuenimus. Primam, asserentium animas et Angelos naturae specificae perfectione aequales esse. Quam D. Thomas Origeni attribuit, refellitque; tum alibi tum 1. part. quaest. 75. art. 7. Item Scotus 2. dist. 1. quaest. 6. Alensis 2. part. quaest. 20. membro 5. D. Bonauentura in 2. dist. 1. in secunda parte distinctionis art. 3. q. 1. et alii ad eundem locum Magistri. 1. opinio asserens aequalitatem specificam inter angelos, et animas

Secunda sententia non minus absurda, abstruit animas essentiali nobilitate Angelis praeire. Quam tuetur Georgius Venetus in opere *De harmonia mundi* Cantico 3. tomo 3. cap. 2. cuius illud est praecipuum fundamentum. Quoniam cum duo genera ad inuicem comparantur; illud est sane nobilius, in quo id, quod eminet, praestantius est; quam quod eminet in altero, docente Aristotele 10. *Ethicorum* cap. 7. nec sine ratione, quia, inquit, unumquodque id simpliciter esse dicitur, quod in illo est optimum. Atqui in animarum rationalium genere Christi anima longe superat praestantissimum Angelorum; ergo animarum genus Angelis uniuersis absolute praeeminet. Quod si respondeatur propositae rationis assumptionem ueram esse tantummodo spectata supernaturali dignitate; sic ex ea 2. opinio angelis praeferens animas. 1. eius ratio 1.p. q.62. art.6. cum Magist. sent.2 d.3. Occupatio responsionis

naturalem argumentatur Venetus. Etenim Deus gratuita dona naturae recipientium attemperauit ut Theologi plerique tradunt cum D. Thoma; quapropter cum ex sacris literis constet Christi Domini animam (quod etiam de Sanctissima parente asserendum est) gratiae praerogatiuis caetera omnia creata longe superare: sit, ut essentia quoque emineat inter uniuersa. Quin etiam pro dignitate omnium nostrum ita secundo disputat. Ex sententia Christi Domini *Lucae* 22. maior est qui recumbit quam qui ministrat, sed Angeli omnes administratorii sunt solum Dei, sed etiam hominum ad *Hebraeos* 1. ergo Angeli omnes ut officio, ita et natura cedunt animis nostris. Nec obest, inquit, quod idem Paulus ad *Hebraeos* 2. ex Regio Vate citat, minorem aliquatulum esse hominem ab Angelis; quoniam, etsi ita uerterint septuaginta interpretes ex Hebraeo; eius tamen linguae uocabulum est Eloim: unde D. Hieronymus, Stapulensis, et alii transferunt; Ministri eum paulo minus a Deo. Denique ita concludit. Quod est ultimum in executione, primum est in intentione; utpote finis, qui solet esse quidpiam praestantissimum; at homo creationis opera clausit; Angelus autem inchoauit; homo igitur intentione, atque adeo animae dignitate prior est Angelo.

2. ratio

Haud uera tamen cecinit in suo cantico Venetus; perperamque in homines se pium praestitit Angelorum damno. Quare cum tam contestata sit, etiam Theologis, quorum maxime interest Christi dignitatem tueri, Angelorum essentialis eminentia supra homines; illius rationibus obiter respondebimus: fusius enim contra eum disputat Ioannes Arboreus 1. *Theosophiae* lib. capite secundo, et quantum sit satis ex tertiae, ueraeque sententiae confirmatione a nobis refelletur. Ad primam igitur recte respondebatur. Neque quod urgebat de donis gratuitis pro mensura essentiae, ita stricte accipiendum est, ut ab ea lege non fuerit a Deo ob aliquem finem egregium declinandum. Adde illam D. Thomae doctrinam neque satis probari omnibus, neque Angelos cum animabus miscere; sed inter Angelos solum ex instituto auctoris procedere. Iam uero animarum salus de qua ad *Hebraeos* mentio fit, finis est, Cuius, respectu Angelorum, qui solet esse ignobilior; Deus autem finis Cui. At enim si tanti facit. Venetus Hebraicam lectionem, dicendum fuerat; Minuisti eum aliquantulum a Diis, quos Angelos esse non diffitebitur, nisi gentilice sapiat, multosque Deos inuehat. Praeterquam quod, si a Deo, legendum contendatur; non paulo, sed infinite minutum animum ab eo esse dicendum fuerat. Itaque non sine temeritate a uulgata translatione receditur, si aliter quam, ab Angelis, uel apud Paulum, uel apud Regium uatem legatur, ut praesul Genebrardus in *Commentariis* octaui *Psalmi* annotauit. Vltimae rationis minor propositio falsa est, si uelit hominem etiam creationis angelicae finem esse naturalem; quod si in sensu alio uera credatur, inefficax ad institutum.

Reiicitur proposita opinio

Ad 1. rationem

Ad 2. rationem

Ad 3. rationem

Tertia igitur sententia, atque omnino certa docet animas rationales essentiali nobilitate inferiores esse angelis. Quam praeter Doctores scholasticos initio articuli citatos, tradunt Diuus Augustinus lib. 11. *De Ciuitate Dei* cap. 15. D. Hieronymus in illud *Matthaei* 11. Qui minor est regno, et caetera, et in *Epistola ad Algasiam* 91. Auctor sermonis *De Assumptione ad Paulam, et Eustochium* inter opera D. Hieronymi et alii sacri Doctores. Ostendique facile potest. Primo, quia locus ille Scripturae sacrae; Minuisti eum paulo minus ab Angelis: non nisi de naturae, ut ita dicam, minoritate, intelligi commode potest; quoniam si ad inaequalitatem donorum gratiae referatur, nulla ratione in Christum poterit quadrare; quem ut Paulus expresse subiungit, gratiae donis omnibus Dei operibus antelatum esse constat. Secundo, quia Aristoteles 1. libro *De Coelo* capit. 9. text. 100. ita de intelligentiis scribit, ut non obscure significet excellentiam naturae earum prae nostris animis; cum optimam sufficientissimamque uitam sortitas esse

3. Sententia quae uera est pro Angelis pugnat

1. Illius comprobatio

Secunda

affirmet. Tertio, quia animae rationales in completa entia sunt essentialiter, et ad materiam transcendenter ordinantur, formalesque causae sunt compositorum: haec autem omnia et imperfectionem inuoluunt necessario, et ab Angelis sunt aliena; ergo illi multo perfectioris essentiae erunt, quam animae; Cum nulla alia uia supersit, qua eas in naturae dignitate possimus anteferre. Denique accedunt ea, quae lib. 2. *De anima* cap. 1. quaest. 2. artic. 3. dicta sunt. Ex quibus etiam duae superiores sententiae refutatae manent.

Tertia. Animas esse in completa quaedam entia

Superest tamen huiusmodi difficultas. Quoniam anima separata, et Angelus aequales sunt intelligendi proprietate; ergo et essentiae dignitate: unde illa promanat. Consequentia suadetur: quoniam cum intellectus sit praestantissima potentia, quae a Deo fieri possit, ex illa utique pensanda est subiecti dignitas; si namque haec natura illam superat, proprietate aliqua eminentiam suam ostendere oportet. Antecedens uero suadetur primo, quia ita sentire uidetur D. Thomam prima part. quaest. 79. art. 8. ad 3. ubi negat intellectum angelicum alterius generis esse ab humano; sed comparari tantum ad inuicem, sicut perfectum ad imperfectum. Quod uberius uidetur declarasse quaest. 58. art. 3. cum docuit intellectum humanum discursiuum esse, atque adeo imperfectiorem angelico ob luminis exiguitatem, futurum alioquin non discursiuum, si uberius lumen participaret, ut angelicus. Demum quaest. unica *De anima* art. 15. ad 10. scribit intellectionum species non distingui, quod sint, uel non sint a phantasmatis pendentes, ex quo tamen fundamento, saltem a posteriori uideri posset colligi essentialis differentia intellectuum. Caietanus etiam ad quaestionem illam 58. annotauit discursiuitatem non cerni in obiectis, ut inde intellectus ualeat speciem capere; sed potius imperfectionem esse illius.

Esse autem aequales probatur primo

Secundo. Quaecumque potentiae eosdem actus sine discrimine possunt edere, specie non differunt; atqui humanus intellectus non discurrit circa ea, quae perfecte complectitur, ut obseruat D. Thomas art. citato. Angelicus e contra circa ea discurrit, quorum minus est capax, ut graues uolunt Theologi; ergo et caetera.

Probatur Secundo

Ferrar. 2. cont. Gent. c.94. cum Albert. Mondragon. 1.p. q.75. art.7.

Autores nec pauci, nec ignoti, inter quos est Scotus 2. dist. prima quaest. 6. distinctione quadam se ab hac difficultate expediunt, aientes intellectum humanum, et angelicum specie distingui ratione subiectorum, conuenire rursum specie obiecti; idemque philosophandum uolunt de sensibus humanis, ac brutorum. Haec tamen distinctio imprimis ad ignotum recurrere uidetur. Vrgebamus enim animae, atque angeli distinctionem essentialem ex intelligendi facultatibus non posse colligi, quod hae eiusdem speciei essent. Nunc autem inuersa ratiocinatione nobis respondetur, ideo non esse praedictas facultates speciei unius si subiecta spectemus, eo quod ista sint specie diuersa. Deinde ea distinctio confusionem in naturis partis. Quomodo enim eadem met entitates specie differre et conuenire ualent inter se? Quod si talis distinctio semel probetur, accomodari poterit plerisque rebus non sine incommodo. Dicet enim aliquis duorum hominum uisiones eodem tempore, et circa idem obiectum elicitas differre numero ratione subiectorum; et numero conuenire ratione temporis, atque obiecti. E contra uero si diuersis temporibus, aut circa diuersa numero obiecta eliciantur ab eodem homine, differre numero ratione temporis, et obiecti, conuenire autem in unam numero ratione subiecti, contra Aristotelem, qui ad numericam identitatem rei, omnium circunstantiarum identitatem requisiuit 5. *Physicorum* cap. 4.

Qui uelint eos distingui per subiecta, conuenire uero per obiecta

Anteuertitur responsio

Quod si respondeant nullum id esse incommodum, quoniam una differentia, aut identitas est per se et essentialis, caeterae uero accidentariae, recte dicent: attamen ex data distinctione non constat adhuc utra illarum sit differentia

intelectuum ex subiectis petita et identitas ex obiecto, quod erat declarandum. Parum uero iuuat quod Scotus citato loco addit; Cum duo aliqua conueniunt, ac etiam discrepant simpliciter denominari a differentia, non uero a conuenientia; perstat enim adhuc hoc documentum (quidquid ueritatis habeat) etiam si dicamus eos intellectus conuenire essentialiter ratione obiecti, et differre accidentaliter per subiecta.

Quae ratione admirari posset superior distinctio

Posset impugnata distinctio admiti, si dicamus diuersitatem, identitatemque specificam inter res, considerationes quasdam esse mentis nostrae, quas proinde non sit incommodum introduci inter angelicum, et humanum intellectum. Quae doctrina etsi Scoto non debeat, est tamen huius etiam aetatis auctoribus pergrata.

1. Solutio admittit aequalitatem utriusque intellectus. Vnde debeat colligi specifica subiectorum differentia

Duplex deinde responsio occurrit, quarum quaelibet, etsi stare nequeat cum altera; utraque tamen ob rei obscuritatem probabilis est. Prima, si dicamus praedictos intellectus specie conuenire, proindeque ex eis non posse colligi subiectorum specificam differentiam; sed ex aptitudine, formalique inclinatione, seu ex unibilitate, aut non unibilitate ad corpus, ut Theologi ipsi inter se contendunt, habebimusque auctorem Scotum quaestione illa 6. § Potest etiam addi: qui probationem quoque subiungit, nihil scilicet mirum, si proprietates eadem a diuersis specie subiectis nascantur, cum diuersae oriantur ab eodem: quod etiam exemplis confirmatur. Lumen siquidem, et superficies, species infimae cum sint, Soli, atque igni differentibus specie adnascuntur; brutorum quoque sensus specie conueniunt cum humanis, ut contra non nullos suae familiae probe notauit Victoria prima parte *Relectionis de perueniente* ad usum rationis num. 4. Cum tamen utraque subiecta satis aperte distinguantur. Quanuis ergo praestantissima substantiae creatae proprietas sit intellectus, non oportebit uariari illam pro specifica uariatione subiectorum; alioquin tot erunt intellectuum species, quot Angelorum, frustra sane, praesertim cum nulla appareat in obiectis ab eis attingendis uarietas.

Non oportet uariari proprietates pro subiectorum uariatione

Vnde colligatur aliqua diuersitas inter huiusmodi intellectus

In qua solutione dicendum, si qua diuersitas cernitur in utroque intellectu penes discursum, et non discursum, aliosue operandi modos; eam ex diuersitate solum maioris, uel minoris luminis prouenire, hoc est, specierum distinctius, aut obscurius, latius, aut pressius repraesentantium. Quod etiam monuit Durandus in 3, d. 14. q. 1. art. 2. ubi quanuis ostendere nitatur beatas uisiones Angelorum, et animarum specie conuenire ob identitatem supernaturalis luminis; attamen generaliter statuit a principio proximo esse sumendam identitatem, uel diuersitatem intellectionum, non autem a remoto, id est, intellectu; confirmauitque naturali exemplo membrorum leonis, et hominis, quae non a materia, cum sit eadem; sed a forma proxime distinguuntur. Et D. Thomas suam quoque intellectionum uarietatem Angelis superioribus, et inferioribus attribuit quaestione unica *De anima* art. 7. ad 5. ob diuersitatem, scilicet, specierum; qui tamen intellectuum tam multiplices differentias specificas, quam Angelorum positurus non uidetur.

Ex Auic. 1. de anima com. 53

D. Thomas

2. solutio point distingui specie eos intellectus

Lege Scaligerum exercit. 346 aduersus Scotum

Altera solutio communior est distingui specifice intellectum humanum ab angelico, ut plures Theologi uolunt, cum de identitate specifica beatae uisionis disputant uel ad 1. p. q. 12. art. 6. uel in 3. dist. 14. uel in 4. d. 49. speciatim Caietanus 1. p. q. 79. art. 7. qui peculiarem ea de re quaestionem edidisse scribit: et quod est articuli institutum, ex eisdem intellectibus colligi specificam diuersitatem subiectorum, ut fecit Alexander Alensis 2. p. q. 20. mem. 5. D. Thomas 1 p. q. 75. art. 7. quidquid in contrarium ualeant, quae ex eodem Sancto Doctore superius adduximus; quid enim D. Thomae obscuriora dicta rimari

attinet, ubi aperta est ipsius in contrarium sententia? Implexum est tamen, quod de intellectionum diuersitate, uel identitate docet. Nanque art. 7. citato *De anima* ad 1. eas specifice distingui ait, si eliciantur a diuersis principiis, id est, speciebus inditis, uel acquisitis. At uero paulo inferius art. 15. ad 10. negat distingui intellectionum species ex eo quod similitudines abstractae sint a phantasmatibus, uel a Deo petitae. Quidquid autem hac de re sit, illud nunc est concludendum, a diuerso lumine, atque intelligendi modo connaturalibus Angelo, et animae recte deduci intellectuum logicam differentiam, quod praestitit D. Thomas 1. p. q. 75. art. 7. ad 1. et luculentius *Quaestione de anima* art. 7. ad 4. Ferrariensis 2. *Contra gentes* cap. 94. Quapropter etsi Deus ualeat alterum intellectum ad alterius actiones euehere; non efficiet tamen quin suus cuique debeatur connaturalis modus. Itaque si quando anima more angelico non discurrit, id quidem, aut praeter naturam eueniet ratione status separati; aut supra naturam ratione gloriae.

A diuerso lumine connaturali subiectis, ducitur intellectuum differentia

## Disputatio II.
## De animae separatae statu, modoue essendi extra corpus.

### ARTICVLVS I.
### QVID SIT STATVS SEPARATIONIS.

Ex superiori disputatione de animae rationalis immortalitate, liquido constat, eam post totius compositi dissolutionem in rerum natura persistere. Proximum est, ut de eiusmodi statu, quem separationis uocant, disseramus, dicturi post ea de illius operandi ratione. Primo igitur, in quonam status is consistat, inquiremus. Secundo, an animae rationali naturalis sit. Tertio, an in eo existens anima, propendeat nihilominus ad statum informationis. Quod ad primum attinet, cum separatio, et coniunctio apertam pro se oppositionem ferant, altera alterius mutua explicatione fiet apertior.

Scopus huius disputationis

Omissa ergo ea separatione, quae per intellectum fit, cum duo reuera coniuncta, separatim concipimus; quod ad Dialecticos ex instituto pertineat; realis, physicaue separatio, si pura sit, in eis tantum cernitur rebus, quarum separatio, ipsa corruptio non est, quemadmodum neque pura, ac simplex unio productio uniendorum esse debet. Hinc fit, ut inter partes hominis solummodo, atque inter ea, quae loco diuelli, coniungique solent, propria separatio, unitioque intercedat naturaliter. Siquidem in his solum neque unitio, productio est, neque separatio: at uero quia caeterarum tum substantialium tum accidentalium formarum a subiectis disiunctio ipsa, est earum corruptio; ideo separatio in eis locum non habet: sicuti neque Christi Domini humanitate per mortem a Verbo, nec in speciebus Eucharistiae, cum illae corrumpantur. Vnde obiter colliges non minus uere, quam proprie dixisse Damascenum nihil a se Deum separauisse eorum, quae semel uniuerit. Nimirum, humanitas in triduo mortis non separata a Verbo fuit, sed potius extincta. Dixi, naturaliter, quia in Sacrae Eucharistiae mysterio proprie quidem, non tamen naturaliter, accidentia a substantia panis, uinique abiunguntur, quia illa a subiecto separatio, corruptio eorundem non est, ut satis constat. Quapropter separationis status, eiusque tractatio soli humanae formae quadrare potest; proindeque de illius tantummodo unione; idque quantum sit satis, ad oppositam separationem declarandam, agendum erit.

Quae sit realis, et physica separatio

Quibus non conuenait physica separatio

Physicae separationis statum soli animae humanae conuenire

Ergo unio formae ad materiam, ut probe notauit Caietanus in *Commentariis* 1. p. q. 76. art. 1. in responsione ad 6. eiusque informatio, siue

In quo differat mors a separatione

causalitas, idem sunt. Quo fit, ut separatio, atque mors, quae illis ex aduerso respondent, tantumdem ualeant: nisi quod separatio partem denominet, mors totum ob eam, quam diximus, rationem; quia illa maneat, non item hoc. Opponuntur autem separatio, atque unio priuatiue. Haec enim positiuum quippiam est, illa minime, quod uel ex eo constat, quia ad unionem positiuae, ac reales dispositiones, influxusque causarum desiderantur: ad separationem uero istorum omnium cessatio, atque amotio. Non est tamen separatio nuda quaedam, puraque negatio: cum certum, ac idoneum subiectum requirat, id est, formam; quare et caetera.

Separatio, et unio opponuntur priuatiue

At quid tandem est (inquies) ipsa unio, substantia ne an accidens? Spiritualis, an corporea? Vt enim arguit Caietanus citato loco, si substantiale quippiam esse dicatur, iam per separationem anima quippiam ad substantiam attinens amittet; si accidentale, iam per accidens totum hominem constituet cum materia, quae sunt absurda; nec dicat aliquis nullum id esse incommodum, eo quod unio sit ueluti dispositio, est enim potius ipsa totius constitutio, ac compositio, non uero antecedens ad constitutionem praeparatio. Huic dubitationi respondendum, animae rationalis unionem cum materia (quod etiam aliis formis substantialibus quadrat) idem ualere, atque informationem, causalitatemue eiusdem in facto esse, ut supra tetigimus, quapropter nihil aliud dici posse quam modum substantialem, atque spiritualem eiusdem animae. Quod etiam de productione, actioneue, atque existentia substantiae dici solet, ac debet; eas nimirum ad genus rei productae, atque existentis spectare: quo autem pacto unio, de qua loquimur, spiritualis sit, cum alterum extremum; ad quod fit unio, id est materia, sit corporeum, ex lib. 1. *De Generatione* cap. 4. q. 13. ad calcem constare potest, nec maior ea in re difficultas uisitur, quam cum alterum extremum unionis est accidens, alterum substantia; ut recte consideranti patebit; quae tamen extrema ita passim coniuncta cernimus, ut uel assiduitate ipsa dubitatio omnis compressa uideatur.

Ita Iandun. q.11. lib.1 de anim.

Vnionem esse modum substantialem, et spiritualem animae

Duplex dubitatio de eadem unione

Posset etiam hoc loco quaeri; An cum anima separata rursum unitur, modus alius unionis ibidem intercedat specie quodammodo diuersus a priori, quique peculiari nomine reunio dicatur; an potius importetur uoce hac solummodo geminatio quaedam extrinseca durationis, qua indicetur eandem numero unionem esse, quae nunc, olimque fuerit, aut certe eandem in specie. Rursum dubitari posset; An unio per aliam uniatur ipsi rei, quam afficit. Sed haec tum quia facilia sunt, tum quia ad praesens institutum non conferunt, omittenda duximus. Illud tantum aduertimus apud graues Auctores unionem uocari interdum relationem; praesertim cum de illa ineffabili, quae inter humanitatem, Verbumque Diuinum datur, sermo incidit; accommodato, scilicet, fundamenti nomine, relationi, quae ex eo consurgit, atque inter res unitas exercetur.

Nomine unionis indicari etiam relationem

Ex dictis constat, quaenam esse debeat praesentis articuli conclusio. Nimirum animae rationalis statum extra corpus, separationemue, si formaliter spectetur, priuationem esse actus secundi eiusdem animae, idest, informationis, seu unionis erga corpus; et quod hinc sequitur, ipsius relationis, ac praesentiae, tum ad idem corpus, tum ad caetera, quibus ratione corporis fiebat praesens; omnis denique concursus, quem per proprias facultates solebat exhibere; quo sit ut quaerenti an per separationem anima rationalis mutetur; respondendum sit, mutationem quidem subire, sed tamen priuatiuam; (nam de ea locali, realique separatione, per quam a corpore dissoluta migrat, inferius agendum erit) alioqui si propositiuo unionis modo, alium naturaliter fortiretur extra corpus, non esset cur praeter naturam tunc existeret, ac rursus cur in corpus propendere diceretur;

In quo constat animae separatae status

Animam per separationem mutari priuatiue. Neutiquam ei positiuum podum aduenire

quemadmodum materia, forma hac semel amissa, praeter naturam non manet: quia aliam illius uice naturaliter suscipit. Vnde illa Caietanus sententia 3. p. q. 6. art. 3. quod anima cum separatur semipersonalitatem comparet, refutanda nunc foret, nisi id lib. 2. *De Anima* cap. 1. q. 2. art. 2. actum esset. Porro licet haec ita sint, habet nihilominus separatio animae similitudinem quandam cum prima Angelorum productione, quatenus ut hi cum creantur in actu primo, ac completo operandi constituuntur, sic anima in ipso momento separationis per species denuo inditas, ac per propriam potentiam mouendi ad operandum expeditur, ut in progressu dicemus.

Similis est animae separaratio primae Angelorum productioni

Sed iam oppones. Cum accidentia uirtute diuina a substantia separantur in Eucharistiae Sacramento, non solum amittunt naturalem unionem, sed etiam acquirunt nouum, ac positiuum essendi modum, qui uicem subeat antiquae unionis, compleatque ipsorum accidentium existentiam. Item cum Christus Dominus iisdem Eucharistiae accidentibus deest, aliquem essendi modum positiuum debet acquirere, alioqui ea separatio a speciebus, corruptio Christi dicenda esset, quod est absurdum. Pari igitur ratione cum anima rationalis a corpore abiungitur, non solam priuationem unionis patietur; sed modum positiuum etiam pro unione denuo comparabit.

1. obiectio

2. obiectio

Ad primum tamen exemplum admisso antecedente, neganda erit consequentia; etenim rationalis forma etiam unita corpori subsistit, ut loco citato *De anima* ostensum est; quapropter nullius modi acessu eget cum separatur; cuius merito possit subsistere, quod tamen in Eucharistia longe euenit, ubi quantitas nouum quendam modum denuo recipit, quo extra subiectum existat. Deinde negari potest antecedens; qua de re lib. 1. *De Generatione* cap. 4. q. 7. latius disputatur. In posteriori exemplo concedendum, cum primum Christus Dominus ab speciebus Eucharistiae deficit, puram pati priuationem unionis, realisque praesentiae ad ipsas, nihilque positiuum comparare; non tamen ob id dicendum esse eum corrumpi, cum nulla mutatio physica circa ipsum, sed circa species transigatur, quod maiori iure dicendum erit de separatione Diuini Verbi ab humanitate cum per triduum extincta fuit.

Ad 1. obiect.

Ad secundam

Lege Soarium 3. tom. dispu. 44. sect.1

## ARTICVLVS II.
### SIT NE SEPARATIONIS STATVS ANIMAE RATIONALI NATVRALIS.

Naturalis status uocabulo, non solum intelligimus eum, qui supernaturalis non sit, ac citra miraculum; sed qui consentaneus animae humanae dici possit, atque, ut ita dicam, desiderabilis. Sunt enim haec non parum diuersa; quod exemplo ignis frequenter explicat D. Thomas: nullo enim miraculo, nullaque supernaturali ui circulariter ad cauum Lunae, et tamen is motus naturalis dici nequit ei elemento, uel ipso Aristotele auctore, cum iam admotum sursum naturaliter inclinetur, ac propendeat.

Quo pacto naturale hic accipiatur

Sit igitur hac re prima assertio propositae dubitationi directo respondens. Separatio animae a corpore, tum in fieri, tum in facto esse, non est ei naturalis, siue consentanea. Ita docet D. Thomas non semel, praesertim prima part. quaest. 89. art. 1. Caietanus ibidem Ferrariensis primo *Contra gentes* capit. 83. et 94. Henricus *Quodlibeto* 7. quaest. 13. aliique non pauci, suadetur autem in hunc modum. Primum affectiones oppositae, praesertim priuatiue, eidem rei connaturales, et consetaneae esse nequeunt: at animae rationali maxime naturalis est unio ad corpus: ergo separatio, quae eam unionem demolitur, minime erit

Prima assert.

Confirmatur primo

eidem consentanea, atque optabilis. Secundum, Id, quod in totius compositi perniciem cedit, naturale esse nequit ipsi formae, alioquin a forma nonnunquam ei malum obueniret, quod est absurdum; forma igitur nullibi, quam in materia connaturalem habet essendi modum. Diximus, formae, non autem, materiae, quoniam haec cum a natura instituta sit in commune subiectum generationum, corruptionumque uniuersi, consequens fuit, ut haberet aliquam indifferentiam, ratione cuius alias etiam formas posset appetere: qua de causa malefica dici consueuit a Philosophis, aliisque eius generis nominibus notari; at uero forma cum a natura sit instituta in unius tantum compositi bonum, eius erit continere, coercereque uagam materiae appetentiam, proindeque non debuit aliam propensionem habere, quae huic muneri sibi tam proprio obstare posset. Tertio, Separatio ad naturam formae nihil interest, ut patet inductione caeterarum, quare cum nullus sit in humana anima gradus, qui ad informandum corpus non pertineat, ut alibi comprobatum est, sit, ut quemadmodum reliquae formae ad separationis statum naturalem propensionem non habent, ita neque illam habeat rationalis. Quarto, quia ad id, quod est consentaneum, datur quidam ueluti impetus naturae: at si consideremus ea, quae in separatione animae a corpore accidunt, nihil tale reperiemus ex parte ipsius; quod in hunc modum declaratur. Dispositiones noxiae, ac mortiferae ei aduersantur; non possunt igitur illam in statum quasi connaturalem impellere et statuere, ut satis liquet; Deinde dici non potest illam ob inductas dispositiones sibi inimicas, per se se commigrare, ac ueluti hospitium uertere; quandoquidem in tali separatione, neque illum etiam tenuem concursum formalem habet, qui formis coelorum concedi solet erga circularem motum, cum potius ab officio formae tunc spolietur; non est igitur cur separatio animae rationali consentanea dicatur. Denique illud saltem negari non potest, multo congruentius ad naturam suam uniri animam, quam separari: cum hoc posteriori modo sit in actu primo tantum, illo uero priori sit in actu secundo causandi, conserendique esse tum materiae, tum composito, quod est rebus admodum naturale, exercendi item operationes non solum intellectiuae partis, sed etiam uegetantis, atque sentientis. Ac iuxta hanc sententiam accipiendus est D. Thomas, qui 4. *Contra gentes* cap. 79. et prima part. quaest. 118. art. 3. scribit contra naturam animae nostrae esse separatam existere a corpore, idest, minime consentaneum, atque expetibile.

Secundo

Sed contra propositam ac confirmatam assertionem sunt nonnulli sequuti Auicennam, quorum meminit Caietanus in *Commentariis* primae partis ad art. 1. quaest. 89. non quod crediderint naturale esse, ac consentaneum animae rationali quoquomodo extra corpus esse: sed ordinatim post corporis informationem: quemadmodum, et faetui non primo, sed post certum illud tempus, quo in utero materno detineri solet, naturale, ac consentaneum est in lucem prodire, ab illoque tenebricoso naturae ergastulo foras emicare. Ad quam sententiam luculenter allusit Seneca *Epistola* 102. ad Lucillum in haec uerba. Quemadmodum mouem mensibus nos tenet maternus uterus, et praeparat non sibi, sed illi loco, in quem uidemur emitti, iam idonei spiritum trahere, et in aperto durare; sic per hoc spatium, quod ab infantia patet in senectutem, in alium naturae sumimur partum, alia origo nos expectat, alius rerum status; nondum coelum nisi ex interuallo pati possumus, proinde horam illam decretoriam prospice, non est animo suprema, sed corpori, transeundum est, excutit natura redeuntem, sicut intrantem, et caetera. Haec ille.

Separationem animae esse naturalem, aliquorum fuit opinio

Explicatur sententia

Pro qua suadenda sententia primum esto argumentum. Multo magis pendet haec materia ab unione huius formae rationalis, quam e contra, ut est considerandi

Confirmatur primo

manifestum; atqui eo non obstante naturale est ipsi materiae huius formae unione priuari: erit igitur et huic formae naturale unionis priuationem subire. Confirmaturque argumentum similium exemplorum inductione; quis enim neget naturale esse hominibus suo tempore caluitium, arboribus hyberno tempore nuditatem foliorum, animantibus somnum, qui uigiliae uacatio est, et uniuersim causis omnibus, postquam semel effecta sua edidere, uirtute priuari ea iterum producendi: quapropter cum forma rationalis causa etiam sit; non solum multo post tempore, sed data etiam semel unione ipsius ad corpus, naturale illi erit ab eo influxu desistere, cum nulla iusta ratio cogat cur in actu secundo semper esse oporteat.

2. Argum.

Secundum, Anima rationalis non unitur corpori, nisi ut illius ministerio operandi instrumenta colligat, idest, species; mirum igitur non erit corpus deinceps naturaliter exuat, ac seponat. Nam post bene instructam domum, nauimue, opificium arma quis requirat? Quae post adultam prolem parens nutricem poscat? Quis post depictam tabulam pernicillum?.

3. Argum.

Tertium, Operandi modus absque ulla phantasmatum ope, naturalis animae est, ac prorsus consentaneus; ergo etiam modus essendi, cum alter ex altero probe colligatur. Assumptum, praeterquam quod est apud D. Thomam prima secundae quaest. 5. art. 1. ad 2. quo in loco docet post huius uitae statum habere nos modum alium connaturalem intelligendi; probatur primo, quia cognitio extra corpus supernaturalis non est animae eaque est multo perfectior, ut pote distinctior, atque expeditior, quam quae in corpore, erit igitur anima ad ipsam exercendam propensa naturaliter. Secundo, quoniam, ut est eiusdem Doctoris Sanct, plurimque Theologorum dogma, eo temporis momento, quo anima a corpore abiungitur, stata lege species recipit, quibus deinceps intelligat. Scilicet ad naturae Auctorem pertinet, ut tunc cum ope phantasmatum destituitur, nouis rerum imaginibus adornetur. Nec si Scoti placitum magis arridet de specierum conquisitione ex obiectis, propositi argumenti pondus eleuatur, sed augetur magis, ut consideranti planum fiet. Concludamus igitur iuxta naturam suam operari animam extra corpus, atque adeo extra idem consentanee perdurare.

4. Argum.

Quartum, quia quod naturale non est, diuturnum esse nequit, teste Philosopho primo *De Coelo* cap. 3. text. 15. et lib. 2. capit. 3. text. 18. at status separationis est aeternus animo rationali naturae uiribus spectatis, cum illius ad corpus regressio miraculosa sit; ergo, et caetera.

Improbatur haec opinio, et respondetur ad arg.

Haec tamen ita erunt expedienda, atque in primis similitudo, quae ex foetu deducitur, elegans quidem est; sed parum urget; potuit siquidem, tam in materno utero, quam extra illum connaturali modo existere proles, quia utrobique ad perfectionem obtinendam tendit: at uero anima extra corpus praecipuum formae munus amittit, quod est informando materiam, compositum constituere: unde non poterit in eo statu connaturali modo permanere.

Ad primum

Cur materiae potius quam formae separatio sit naturalis

Ad primum uero argumentum neganda erit consequentia, et ratio in promptu est, quia anima haec uni tantum materiae coniuncta esse ualet naturaliter, ut 1. *Physicorum* cap. 9. quaest. 11. art. 4. ad ultimum habetur: non ita materia; quapropter etsi hanc deserat formam, statum etiam naturalem sub quauis alia retinebit. Porro exempla, quae in confirmationem adducuntur, si recte accomodentur, instituto nostro prosunt, non obsunt; siquidem neque capillis, neque foliis, aut uigiliae connaturale esse potest extra illa subiecta inueniri. Iam quod de causis additur, naturale eis esse, carere ui producendi effectus semel editos, falsum est, si de iis intelligatur a quibus non solum in fieri, sed etiam

inconseruari effectus iugiter pendent, seu quarum influxus non interrumpitur, cuius generis constat esse animam.

Ad secundum

Secundi argumenti antecedens falsum assumit; cum propter actiones etiam partis sentientis, atque uegetantis, anima materiae copuletur. Quin etiam licet a nobis admitteretur, neganda esset adhuc consequentia, cum semper usu sensuum egeamus ad species intuitiuas propria ope comparandas, singulariaque intelligenda.

Ad tertium

Animae solum ut separatae naturale est sine corpore operari

Actio animae extra corpus etsi illustrior sit, non est connaturalior

Ad tertium, negandum quoque erit antecedens, nisi sensum (ut uocant) reduplicantem contineat; accepta nimirum anima prout statum obtinet separationis; tunc enim toti illi quasi coniuncto ex anima, et statu naturale erit sine corpore operari, quo pacto intelligendus est D. Thomae in argumento citatus. Ad primam deinde confirmationem negetur consequentia: multo enim perfectior est circularis motus, quam rectus, non tamen prior ille est igni consentaneus, sed posterior. Nimirum, quae praeter naturam competunt, nihil interest meliora ne sint, an deteriora, quam quae competunt consentanee. Ad secundam dic ex illo Theologorum dogmate concludi quidem animae humanae species, atque actiones intelligendi extra corpus, in quoddam ueluti supplementum dari; non autem in connaturale, atque expetibile prae corporis unione ornamentum.

Ad quartum

Ad quartum, si per non naturale uiolentum intelligatur, concedenda maior, sed nihil contra nos, qui separationem uiolentam esse negamus; si uero, quae praeter naturam sunt, etiam comprehendat, falsa est, ut exemplo ignis ostenditur, hic enim aeterno tempore praeter naturam uolui posset, si coelorum motus nunquam desisteret.

Secunda assertio

Quid sit proprie uiolentum

Anima in unione non habet influxum effectiuum

Nulli formae uiolenta est a materia separatio

In quo statu forma possit pati uiolentia

Secunda assertio, Separatio a corpore animae rationali uiolenta non est. Declaratur, suadeturque, nam uiolentum, ut sumitur ex Aristotele 3. *Ethicorum* tunc dicitur, cum subiectum urgetur in contrariam affectionem, uel statum eius, ad quem effectiue inclinatur, ac tendit: sic motus, locusque sursum dicitur uiolentus corporis graui; quoniam in contrarium motum, ac locum effectiue propendet. Cum ergo anima rationalis effectiuum influxum non habeat in sui unione ad corpus (is enim propria est efficientis causalitas) sed formalem; sit ut quidquid contra talem influxum accidit, uiolentum dici non mereatur: unde neque coelum uiolentiam pati dicetur, cum post diem iudicii aeterno tempore quiescet; quia ea quies pugnat quidem cum motu, ad quem tamen coeli forma non effectiue, sed formaliter tantum concurrit. Atque haec ratio probat, quod etiam D. Thomas 1. secundae quaest. 6. art. 4. ad 2. fatetur de qualitatibus actiuis, ubi maxime uiolentia cerni posset, nulli omnino formae uiolentiam fieri, cum a materia excluditur, non solum spectata generali rerum lege, secundum quam naturale est illis corrumpi, ut aliae generentur, sed etiam spectata peculiari; cum nulla forma efficientem influxum habeat ad se ipsam, uel compositum conseruandum, ac formaliter tantum cum sibi contraria pugnet in subiecto, si, qua ex parte proprium munus formae praestat, consideretur. Quod ideo dixerim quoniam si attendatur, ut est ipsi composito ratio agendi, uel actioni contrarie resistendi, uiolentiam fortasse propriam patietur, quod considerasse uidetur Aristoteles cum libro 5. *Physicorum* capit. 6. text. 59. alterationes etiam uiolentas dari scripsit. Qua cum moderatione propositum a nobis pronuntiatum accipiendum uolumus.

Si separatio esset uiolenta, foret resurrectio naturalis

Quod ulterius suadetur commodius nunc ad rem nostram adducto argumento, quod pro sententia Auicennae quarto loco superius proposuimus: quia si anima uiolenter separaretur a corpore, iam resurrectio naturaliter homini deberetur, quod philosophis absurdum est, consentientibus pene uniuersis, nihil semel proprie corruptum, redire posse per naturam. Probatur consecutio, quia cum

anima post mortem naturaliter perseueret, si is status illi foret uiolentus, non posset non tandem aliquando naturali uia ab eo expediri, cum perpetuus esse non possit docente Aristotele 2. *De coelo* cap. 3. text. 18.

Ad haec, Violentum dicitur, cuius principium est foris; sed forma etiamsi nulla inimica qualitas exterius immittatur, dissociabitur aliquando a materia, consumpto humido: ergo ea separatio uiolentia non est. Facit pro hac sententia id, quod scribit Tullius *Tuscullanarum* 1. discessum animi a corpore fieri nonnunquam cum uoluptate, et locus ille Platonis in *Timaeo*. Mors, quam morbi, et uulnera intulerunt, uiolenta est, atque molesta, quae uero genio paulatim ad finem naturaliter surrepit, inter omnia mortis genera leuissima est, et cum uoluptate potius, quam dolore contingit. Similia scribit Seneca libro 4. capit. 30 et libro 11. capit. 78.

Obiectio

Oppones tamen uulgarem illam diuisionem mortis in naturalem, et uiolentiam; quam etiam insinuauit Plato loco proxime adducto: unde concludi uidetur aliquam separationem (id enim est mors) uiolentam esse: sed occurrendum, mortem uiolentam dici, spectata potius forma, ut ratio agendi est, ac resistendi; non ut proprium formae munus exequitur; uel certe in ea diuisione attendi etiam ad propriam uiolentiam, qua quis externa ui motrice in mortem cogitur. Lege quae lib. 1. *De Generatione* cap. 4. quaestione 16. art. tertio ad secundum scripta sunt.

Dilutio

3. assertio

Ex duobus assertionibus tertiam facile deducitur; Separationem animae a corpore praeter naturam esse. Nam cum naturalis non sit, neque etiam uiolenta, sit consequens, ut ex approbata Philosophorum diuisione, praeter naturam esse dicatur. Quod si D. Thomas aliquando contra naturam esse scribit; praeter naturam accipiendum esse superius monuimus, atque ita usurpat Aristoteles tum alibi, tum 1. *De Coelo* capit. 2. text. 15. et libro 2. capit. tertio text. 18. in *Physicis* quoque lib. 5. capit. 6. text. 57. uiolentam accretionem appellat, quae praeter naturae debitum excurrit: quapropter non recte Ferrariensis statum separationis simpliciter contra animae naturam esse affirmauit libro 2. *Contra gentes* cap. 83.

## ARTICVLVS III.

### VTRVM ANIMA SEPARATA AD VNIONEM CORPORIS NATVRALITER PROPENSA SIT.

Falsa hac de re Origenis existimatio

Lege Xistum Senense. lib. 5. annot. 185 et 236

Praetermissa hoc loco absurda Platonis, atque Origenis existimatione erronea, quam plerique e Sacris Doctoribus refellunt. Animas ante hominem natum bene, beateque uiuentes in poenam admissi sceleris addictas fuisse corporibus, quo sit, ut non solum non illa appeterent, sed refugerent quam maxime. Scotus in 4. distinct. 43. quaest. 2. articulo tertio circa tertiam propositionem, et distinct. 45. quaest. 2. in argumentorum responsionibus. Ioannes Maior 4. *Sententiarum* libro quaest. 3. artic. quarto, et alii negantem quaestionis partem secuti sunt, alio ex fundamento, quia uidelicet animam propter bonum corporis, non uero ob aliquam sibi: peculiarem perfectionem, quam separata assequi non posset, obtinendam, eidem corpori uniri credunt. Peculiarem dico, quoniam ipse Scotus *Quodlibeto* nono, non solum non negat, sed probat etiam animam separatam perfectione carere nonnulla, quam habuerat coniuncta, idest, participatione (ut credit existentiae totius suppositi, quam tamen perfectionem ait esse communem animae cum toto (addere iure posset cum materia) non autem peculiarem ipsius.

Negatiua Scoti sententia eiusque fundamentum

Quae sententia probari potest primo. Si anima extra corpus collocata in ipsum propenderet; uiolentiam perpetuo pateretur, nisi Deus praeter naturae legem de resurrectione prouidisset; cum in eo statu semper esset permansura: hoc autem a suaui naturae progressu longe abest; ergo anima ad iteratam corporis unionem non inclinatur. 1.Argum.

Secundo. Vnio ad corpus impeditura est animae expeditam, angelicaeque simillimam intellectionem, ac propriam motionem ad locum, corpore, scilicet, animam degrauante, sensumque multa cogitantem deprimente, ut habetur *Sapientiae* 9. Non igitur talem unionem amat anima. Quod si assumptum neges, dicasque futurum deinceps, ut D. Paulus pollicetur, corpus spiritale, idest, omnibus conditionibus degrauantibus liberum adhuc urgeberis, quia nunc ea, quae naturae sunt, spectamus, non quae Deus decernit liberaliter, praesertim quia adducta responsio in dannatis animis locum non habet. 2. Argum.

Tertio. Causa efficiens ex eo quod perfectionem ex effectu non comparet, imo impertiat, in illum non dicitur propendere: sed anima rationalis nihil perfectionis recipit a materia, quod extra illam non posset recipere, idest, species; impertit autem materiae existentiam; ergo cum separata fuerit, in illam propensa non dicetur. 3. Argum.

Quarto. Quoniam si anima extra corpus posita naturaliter in ipsum propenderet; naturaliter concluderetur resurrectionem ordinaria potestate exhiberi posse; cum res quaeque ad statum, in quem propendet naturali uia ac ratione promoueri soleat: at resurrectio in fidei articulis continetur, ut proinde non uideatur naturaliter exerceri posse, aut cognosci, ergo et caetera. 4. Argum.

Contraria tamen sententia est D. Thomae 1. part. quaest. 76. art. 1. ad 6. Abulensis in 22. caput *Matthaei* quaest. 222. ad 4. uideturque expressa a D. Augustino 12. super *Genesim ad literam* cap. 35. cum scribit inesse animae separatae naturalem quendam appetitum administrandi corporis. Cuius sententiae fundamentum illi contrarium est, quod pro Scoto iactum fuit: nimirum animam separatam ideo corporis societatem adamare; quod non minimam inde obtineat perfectionem. In eius ergo fundamenti gratiam aduertendum: cum perfectio entitatis cuiuslibet, ipsa eius natura sit, uel naturam sequatur; cumque entitas animae sit respectiua, ut pote pars tum ad compartem aliam, tum etiam ad compositum ordinem includens, eius quoque perfectionem ab eo ordine abstrahere non posse. Quicquid igitur boni accesserit compositio ex partibus, in id ipsae impense incumbent. Itaque bonum totius compositi alienum a partibus non est, ut Scotus uidetur credidisse, sed ad ipsas interest magnopere, ut mirandum non sit, quod in illud etiam inclinentur. Quae ratiocinatio in materiam ualet erga formam, quantumlibet propriam existentiam possideat: multoque magis institutum concludit ex parte formarum corruptibilium, quanuis superiori aliqua potestate a subiectis separentur, nobiliorique existendi modo gaudere dicantur. Neque enim propterea ad connaturalem essendi modum inclinationem deponent (sunt enim ipsae sic essendi aptitudines, uel certe inseparabiliter ab eis tales aptitudines emanant) ut hic etiam locum habeat illud Pauli. Nolumus spoliari, sed superuestiri; primae *Corinthios* 15.

Opposita sententia D.Th.

Probatur primo

Partes propendent in bonum totius compositi

Hinc rursus arguitur. Materia ideo inclinatur ad formam, tunc etiam cum ea caret, quia est aptitudo quaedam materialis sui actus; sed forma quoque aptitudo est formalis ad materiam: ergo in hanc pariter propendebit, etiam cum extra illam erit. Secundo

Praeterea. Vt superiori sectione conclusimus, separationis status non est proprie naturalis animae: erit igitur naturalis status unionis; cum alius non Tertio

Lege Henr. quodlib.7. q.13. Lege Fer. 4. contra gent. c.79. § Sed nulla

supersit; sed unumquodque in id propendet, quod sibi naturale est, ac consentaneum; ergo. Accedit Aristoteles secundo *Physicorum*, capite secundo textu uigesimo tertio, quo loco scribit materiam esse propter formam; ergo boni aliquid formae accedit ex materia, et libro tertio *De anima* capit. decimo secundo, text. 61. conducere ait animali rationali, quod sensu sit praeditum, animae uero quod sit praedita corpore: hominis igitur pars superior a corpore perfectionem aliquam recipit.

Quid boni accedat animae ex unione cum corpore

Siquis autem quaerat, quodnam sit tandem eiusmodi bonum, siue perfectio, quae animae ex unione corporis accrescit. Respondendum erit nullum esse potius bonum, quam unionem cum materia, totiusque compositi constitutionem actualem, cum propter haec tanquam propter finem sit, et in entium latitudine inueniatur. Atque hanc uocat Caietanus prima secundae quaest. 4. artic. 5. perfectionem extensiuam.

Quo pacto uelint aliqui has opiniones conciliare

Sunt autem nonnulli, qui studio componendi utranque sententiam Diui Thomae, et Scoti, dicant animam rationalem considerari posse et ut separabilem, et ut formam; qua distinctione utitur idem Diuus Thomas prima secundae quaest. 4. art. 5. ad primum, dum docet beatitudinem intellectualem competere animae, ut corpus transcendit, non autem, ut forma est ipsius. Priori ergo modo spectatam, aiunt corpus minime appetere, sed posteriori, ac D. Thomam hoc attendisse, Scotum uero illud.

Horum doctrina non admittitur

At enim quia huiusmodi distinctio nonnullam praebet ansam ponendi in anima rationali duos gradus, alterum quo sit forma corporis, alterum quo sit separabilis; qua in re, non minimus latet error, supersedendum ea est, praesertim quia non ostendit quid in quaestione proposita simpliciter sit decernendum. Quae hactenus disseruimus suadent quidem naturalem inclinationem, siue appetitum innatum, atque improprium animae nostrae erga materiam, non tamen plane ostendunt habere illam quoque proprium, innatum, atque elicitum.

An habeat anima elicitum appetitum ad reunionem cum corpore

Soarius 3.p. q.53. disp.44. sect.7. ad calcem

Recentiores quidam Theologi credunt animam separatam nulla habita ratione gloriae, uel damnationis, sed in statu puro separationis, ut nunc loquimur, minime desideraturam (si recte sapiat) reunionem ad corpus. Primo, quia non alterius, quam illius, quod deposuerat, corporis reunio ei deberetur, hoc est, morti iterum obnoxii, ut notum est; quo pacto iam in infinitum abiret eiusmodi desiderium; cum infinities esset corpus per mortem deponendum: quod tamen absurdum uidetur, atque alienum a naturae inclinatione, quae ad determinatum semper contendit finem.

Sententia, quae negat probatur primo

Secundo, quia reunio ad corpus caducum, perfectam rerum contemplationem moratur, turbatque, atque adeo naturalem beatitudinem minuit; non poterit ergo elicito actu saltem deliberato expeti ab anima.

Secundo

Tertio, quia quod tantopere uiui formidemus unionis dissolutionem, inexperientiae potius illius animae status adscribendum est; quam existimandum commodiorem ei esse unionem. Adde animam per se sumptam id minime formidare, sed totum hominem, quem certum est maxime expetere suarum partium coniunctionem, sine qua non constabit.

Tertio

Quarto, quia anima, qua ratione forma est corporis, inter naturas presse sumptas numeratur, per uoluntatem uero ab huiusmodi naturis secernitur; ut constare potest ex iis, quae 2. *Physicorum* capit. primo, quaestione quarta, sunt annotata; ergo non appetet actu elicito a uoluntate id, quod sibi tanquam naturae competit, idest, corporis unionem. Probatur consequentia, quia id desiderium iam non est ab anima, ut a natura, atque adeo nec naturale.

Quarto

Quinto

Quinto, Reunio animae semel a corpore separatae non est naturalis, sed miraculosa; ergo non cadit sub naturale ipsius animae desiderium.

Contraria sententia amplectenda est

Affirmandum tamen omnino est animam separatam actu etiam elicito desiderare naturaliter resurrectionem. Quae sententia satis confirmatur ex iis, quae dicta sunt de innata propensione animae separatae ad corpus. Nam cum anima proprio appetitu donata sit, id est, uoluntate, cur ea, quibus perficitur, et in quae, siue proprie, siue improprie propensa est, elicito actu non desideret? Praesertim quia uoluntas totius subiecti appetitus dicitur, quo, uidelicet, desiderare possit quidquid ei naturae iure semel obuenit; qualis est societas corporis. Deinde, anima qua rationalis, atque adeo qua uolitiua, forma est corporis; ut alibi demonstratum est, non enim quia per hanc praerogatiuam caeteras formas excedit, ideo per illam a conditione formae recedit: poterit ergo per uoluntatem appetere quidquid ei, qua natura est, competit, cum eiusmodi appetitio ab ea, ut natura est, proueniat.

Lib.2. de anima c.1. q.6. et 2. physic. cap.1. q.24

Ad primum negatiuae sententiae argum

Quapropter ad primum superioris sententiae argumentum dicito anima rationalem non appetere simul infinitas uniones, sed unam tantum; quam appetitionem infinities recurrere nullum est incommodum, si eius etiam obiectum eandem subeat conditionem; quemadmodum nullum est incommodum infinities descendere lapidem, si toties sursum pellatur. Quod si obiicias a D. Augustino 12. lib. *De Ciuitate* c. 13. irrideri perpetuam (ut quidam Philosophi arbitrabantur) earundem rerum reditionem. In promptu responsio est, irrisionem illam hominis esse apprime callentis, quid ea in re a Deo fuerit statutum, non autem ignorantis, quid in certo aliquo ordine rerum, illarum aliquae postularent. Adde etiam eos philosophos plura alia asseruisse reditura, ut eadem hominum studia, mores, et caetera, quae cum libera sint, iure a S. Doctore irridentur. Lege quae lib. 2. *De Generatione* c. 11. q. 1. art. 1. scripta sunt.

Dilutio

Obiectio

Ad secundum

Ad secundum, fatendum perfectius contemplari posse animam separatam, quam corpori unitam: negandum tamen illum, quam istum statum ei esse magis expetibilem: cum non ille, sed hic eidem sit connaturalis; ut superiori articulo docuimus. Itaque quod ea cognitio, quam corpori unita assequi ualet; imperfecta sit, conditio est humana, quam aeque ferre par est animam. Quod deinde cum labore obtineatur, extrinsecum est impedimentum, ut proinde desiderio excitando per se non obsit, sicuti de toto ipso homine doceri solet, cum de eius sciendi appetitu agitur.

Ad tertium

Ad tertium, concedendum mortem non tam proprie animae, quam toti homini esse formidabilem; ex quo tamen non sequitur animam non auersaturam naturaliter sui separationem, tunc etiam cum illum statum subierit.

Ad quartum

Ad quartum dicendum, etsi anima distinguatur a quibusdam naturis presse accepis per uoluntatem et intellectum, adhuc tamen intra genus naturae proprie spectatae contineri, cum etiam qua rationalis, sit forma corporis, ut diximus. Adde nostro instituto sat esse, si anima per actum elicitum uoluntatis unionem appetat naturaliter, id est, consentanee, iuxta genium suum, etsi non appetat naturaliter, ac ducto uocabulo a natura presse accepta.

Ad quintum

Ad quintum dic, resurrectionem non esse supernaturalem quoad entitatem, cum sit unio eiusdem speciei cum prima generatione, etsi quoad modum supernaturalis sit. Quae uero ita se habent naturali desiderio appeti ualent, ut a caeco aspectus; sed de hac re statim plura.

Respondetur ad argumenta adducta pro Scoto.
Ad primum

Ad primum uero argumentum pro Scoti sententia initio articuli adductum negari debet assumptum; non enim quod est contra quanlibet inclinationem naturalem, uiolentum dicitur, sed contra effectiuam: alioquin dicatur etiam caecus in statu uiolento existere. Atque huc tandem pertinet Caietani solutio 1. p. q. 76.

art. 1 ad finem ex D. Thoma elicita. Idem uero Sanctus Doctor q. 24. *De ueritate* art. 10 ad 1. rem illustrauerat exemplo causae efficientis, quae uiolentiam pati non dicitur, si non agat, cum ex alterius etiam causae concursu fortasse pendet eius actio, ut accidit cuilibet parenti comparatione prolis. Itaque ad uiolentiam requiritur efficiens, sufficiensque principium in eo, quod illam passurum est. Lege quae dicuntur lib. 2. *De Generatione* cap. 11. q. 1. art. 4.

Ad secundum

Ad secundum, nihil referre si aliquantulum anima a mortali corpore degrauetur, quominus ipsius unionem amet: attendimus enim id, quod natura hominis ex propria fert conditione. Porro Salomon, de operibus studiosis maxime loquitur, quibus deprauatus appetitus repugnat; non autem de pure naturalibus, ut in praesentia.

Ad tertium

Ad tertium, neganda est minor propositio, quia actum informandi, quae est princeps animae perfectio earum, quae illius naturam comitantur, eadem anima absque materia non obtinet. Pro solutione quarti, sequens articulus proponitur.

## ARTICVLVS IIII.

### SOLVITVR QVARTVM ARGVMENTVM SVPERIORIS ARTICVLI PRO SCOTO.

Pars quae affirmat resurrectionem esse naturalem

Quartum argumentum petit, an reunio animae ad corpus, quae ipsa est resurrectio, naturalis sit. Videtur enim affirmate respondendum. Namque si ad materiam attendamus, manet in ea post separationem animae capacitas antiqua; siquidem ab eadem nullo modo distinguitur. Si uero animam consideremus, cum sit etiam formalis quaedam, ac transcendens habitudo erga materiam, haud dubie, cum perseuerat anima, perseuerat eius ad materiam inclinatio. Non est igitur cur ratione utriusque uel alterius partis, non possit unio naturaliter iterari. Quod si ita est; ergo siue a prima, siue a secunda causa agente id praestetur, naturae debito continget, cum iis, quae naturaliter uniri ualent, causa naturaliter uniens respondere debeat, id quod etiam D. Clemens non obscure testatur lib. 5. *Constitutionum* cap. 6. ubi sic ait. Qui corpus Adae fabricatus est, idem et Adae et caeterorum corpora suscitabit, quod hoc naturae hominum rationis participi debeatur. Accedit quoniam non alia ratione melius constare potest, quid futurum fuisset hominibus, si erga illos Deus naturalem, generalemque prouidentiam tantummodo exhibere uellet. Quandoquidem solius animae status satis esse non uidetur, ut homini abunde prospiciatur.

Confirmatur auctoritate

Reunionem esse naturalem quoad entitatem

Haec tamen sententia ad summum concludit unionem semel dissolutam inter animam et corpus, naturalem esse quoad entitatem, quod libenter fatemur. Nec enim illa ex eo quod postquam euanuit, iterum redeat, amplius uariatur, quam penes actum, ac potentiam. Non tamen (quod est quarti argumenti, in cuius explicatione uersamur, institutum) efficit eam, uel naturaliter exhibendam esse, uel alicui homini semel corrupto deberi, aut denique ab eo fore cognoscendam, sed peculiari Dei institutione, ac decreto, quod uocant supernaturalem esse quoadmodum, non quasi modum aliquem intrinsecum habeat supernaturalitatis (id enim a uero abest; tum quia actio ipsa iam est modus quidam, tum quia iam in termino aliquid supernaturalitatis induceret quod nemo admittit) sed per extrinsecam denominationem a supernaturali Dei prouidentia, qua eandem numero productionem, remque productam in alio tempore, locoque exhibet, id

Supernaturalem quoad modum

Quod sit ille modus

quod ipsa uoce, reunionis, insinuatur, quae repetitionem quandam eiusdem rei menti ingerit.

Respondetur ad rationem partis affirmatiuae

Atque huc spectat quod D. Thomas ait 4. *Contra gentes* cap. 81. quem locum adducit etiam Caietanus 1. p. q. 76. art. 1. ad finem sequunturque alii Theologi communiter; resurrectionem naturalem dici infacto esse; in fieri uero supernaturalem. Quod modo iam a nobis explicato est intelligendum. Ea igitur, quae paulo ante adducta sunt, nihil efficiunt, quanuis enim eadem anima, atque materia post dissolutionem unionis maneant, non remanet tamen in aliquo agente secundo uirtus eas iterum uniendi; neque in illis proxima capacitas ad talem unionem, ut ad finem librorum *De ortu, et interitu* explicatum est. Iam D. Clemens de mortali debito non physico loquitur, quatenus uidelicet integra hominis natura, quia rationis est particeps, modo aliquo postulat, ut ad beatam uitam promoueatur; quemadmodum, et Augustinus in *Epistola ad Dioscorum* scripsit tam potentis naturae esse animam, ut eius beatitudo redundet in corpus, cum tamen ex aequo, bonoque gloria corporis sit ab anima beata, non uero ex aliquo puro naturae iure. Quod denique addebatur recte in ea sententia constare de naturali prouidentia hominis post mortem; non urget, satis enim compensari possent quae in hac mortali uita, homo bene operaretur, si soli animae aeternum praemium donaretur.

Lib.2. c.11. q.2. art.4. ad 4.

Resurrectionem homini non deberi

Ex his, quae dicta sunt uideri alicui potest reunionem animae ad corpus, si non exhiberi, saltem cognosci naturaliter posse, cum nihil supernaturalitatis amplius habeat, quam quod a Deo extraordinaria naturae lege reuocetur. Verum quamquam admodum probabiles sunt rationes, immo fere demonstratiuae, quibus ostenditur reparationem hominis esse possibilem, ut patet ex libro 2. *De Generatione* cap. 11. q. 2. art. 2. quanquam item reuera exhibendam esse naturales coniecturae esse possint; certo tamen, et euidenter, atque eo modo, quo fides docet, nemo unquam naturali lumine assequi potuit futuram esse. Quis enim liberum, ac extraordinarium Dei decretum cognoscat, cum nemo hominum scire possit Dei consilium, aut cogitare quid ipse uelit, ut ait Salomon. Atque haec pro quarto Scoti argumenti dicta sint.

Eam ut certo futuram nullum naturae lumen attingat